



# **Joannis Augusti Starckii ... De tralatitiis ex gentilismo in religionem Christianam, liber singularis.**


<https://hdl.handle.net/1874/347637>

7  
IOANNIS AUGVSTI STARCKII,  
SS. THEOL. DOCTORIS ET PROFESSORIS ORDINARII IN ACADEMIA  
REGIOMONT. S. R. M. BORVSS. A CONCIONIBVS AVLICIS,

DE  
TRALATITIIS EX GENTILISMO  
IN  
RELIGIONEM CHRISTIANAM.

---

LIBER SINGULARIS.



---

MATTH. XIX, 8.  
AB INITIO NON FVIT SIC.

---

REGIOMONTI, 1774.  
IMPENSIS GOTTL. LEBER. HARTUNGII.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO



THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY





## PROEMIUM.



Cogitanti mihi saepenumero de religione, et pura illa rei publicae christianae principia, nullis hominum inuentis contaminata, nullo exotico apparatu exornata, cum iis temporibus conferenti, quae post ea exceperunt, fieri omnino nequiuisset, quin satis superque perspicerem, quam magnum illis intercedat discrimen, quam ingentes immutationes religio passa sit, quam valde a pristina puritate ac simplicitate recesserit. Illud enim fere proprium esse videtur humano generi, ut nihil hominum manibus committi prorsus queat, quod pro eorum ad delirandum procliuitate non immutatum fuerit. — Non loquor hic de morum disciplina, tam misere derelicta, non de sancta illa coniunctione, qua vnica erat illa καθολικὴ ecclesia Dei, non miseris tot dissidiis distracta, tot intestinis malis concussa, tot bellis et proscriptionibus diuisa,



divis. Haec enim tanta sunt, ut si ex cinere ad nos redirent  
 priscae et primae aetatis christiani, idem profecto illis accide-  
 ret, quod apud VIRGILIUM *Aeneae*, ubi *Deiphobum* vidit

— — — *laniatum corpore toto,*

— — — *lacerum crudeliter ora,*

*Ora manusque ambas spoliataque tempora, raptis*

*Auribus, et truncas inhoneſto volnere nares,*

*Vix adeo agnovit.*

Sed quae ad ritus, quibus nempe exterior reipublicae chri-  
 stianae forma insignes immutationes subiit, et dogmata faci-  
 unt, a prima puritate et simplicitate abducta, tot spurii et  
 adulterinis praeceptionibus, tot humanis alterata inuentis,  
 haec, inquam, ad nostrum scopum pertinent. Permagnum  
 quidem, et quam latissime patens campus a nobis dimetien-  
 dus esset, si quae cuncta de hoc genere in medium possent  
 proferri examinare velimus. Quam multa enim nobis sugge-  
 reret historia ecclesiastica, si in causas omnes, quae his vel  
 illis rebus ansam praebuerunt, in dissidias inde in ecclesia  
 ortas inquirere velimus! Quam longum curriculum aperirent  
 antiquitates christianorum et historia dogmatum. Si-  
 cubi itaque non omnia ac singula, ad res usque minutissimas  
 a nobis recensita fuerint, nec eo ordine, ut aliis fortassis opus  
 esse videretur, nec ea denique *ἀνεπίβητα* quae et reconditissi-  
 ma latibula perlustrat et in intimas rerum causas inquirat, non  
 tam nostram cuncta absoluendi voluntatem accusent lectores,  
 quam augustos potius terminos huius libelli, quos nisi si in-  
 gens plane opus accumulare, ab aliis totiens dicta repetere,  
 aliorumque scrinia compilare velimus, transgredi prorsus ne-  
 quimus.

*τὰ γ' ἀνεπίβητα ἢ ἀνεπίβητα τοῖς γὰρ ἀσέβητοις.*

Ita autem hoc negotium tractabimus, ut prima huius libelli  
 pars circa externam christianorum disciplinam versetur, et  
 quales



quales in hoc genere immutationes ex gentilissimo petitas religionis cultus subierit doceat, et quid de his sentiendum sit, exponat: altera autem, quae subsequetur, dogmata proponet, ubi in eorum fontes atque causas inquiremus, et nostrum qualecunque iudicium exponemus.

## SECTIO I.

Quamquam negari prorsus nequeat, christianam societatem, a primis inde initiis suis ab omni externo cultu non alienam prorsus fuisse; nudato enim capite mares ut praeces funderent, feminae autem velata facie D. PAVLVS praescripserat (a), protensionis et extensionis manuum in formam crucis mentionem facit ASTERIVS (b) conuerso ad Orientem ore precari solitos fuisse christianos (c) auctor *Quaestionum* memoriae prodidit (d), *Φιλήματος ἀγίου* seu osculi pacis mentionem facit Apostolus in epistola ad Romanos Cap. XVI, signi crucis, tanquam *κρητηριε*, quo semet ipses inuicem cognoscere et a profanis, gentibus atque iudaeis dignoscere solebant christiani, meminit MINVCIVS FELIX (e), alii-

A 2

(a) I. Cor. XI.

(b) *Homil. de Praecar. ap. Caueum esse Christenthum. p. 233.*

(c) Hinc Heliolatrarum nomen ipsis inditum esse videtur Cfr. *Fac. Thomaspus in diff. de ritu Vetr. Christianor. precandi versus orientem.*

(d) CXVIII. 471.

(e) OCTAVIVS, *Da Signum et Osculum.* et alio loco: *Occultis se nosse et insignibus noscunt.* Quod recte WOWERIVS de Crucis signo interpretatus est. Quod enim *Korsholt* contra *Procopii* auctoritatem monet, qui saeculo sexto vixit, nihili est, cum diu ante *Procopium* crucis signum in vsu fuerit, ut *Tertullianus* testis est.



que quam plurimi ex antiquis patribus; nec omnem temporis curam a primis christianis neglectam prorsus fuisse, tum ex ipsa D. PAVLLI ad Romanos per scripta epistola (f) tum ex Sabbathi obseruatione clarissimum est: tamen simplicissimam olim fuisse primitiuam ecclesiam, siue externum cultum religionis, siue ipsam dogmatum doctrinam spectemus, nemo fortassis in dubium vocauerit. Talem enim nobis eam descriptam dederunt IVSTINVS MARTYR atque TERTVLLIANVS, vt inde facile perspicere liceat, quam exiguis admodum et simplicibus ritibus instructa olim fuerit christiana societas. Conueniebant enim certis diebus ad colendum deum. In hisce conuentibus post preces habitas sacrae pandectae (g) praelegebantur, et ab iis, qui periti erant sanctorum literarum populo explicabantur. Preces praeconceptis verbis et clara voce, ita vt ab omnibus intelligi possent recitabantur, quas praesens populus adiuncta in fine formula *Amen!* confirmare solebat. Sequebantur Psalmi, alique a christianis perfecti hymni, quibus, vel Christi laudes efferebantur, vel populus ad pietatis zelum atque feruorem incendebatur. Preces, librorum sacrorum lectionem et hymnos excipiebat panis, vini aliorumque donariorum oblatio, ex quibus quantum ad sacra faciunda opus erat, fecernebatur, reliqua vero symbolorum pars, epulis sacris, quae τῶν ἀγάπων nomine sunt notissima, destinabatur. Agapas excipiebat rite ab Antistite consecratis panis ac vini elementis, sacrae Coenae celebratio (h), quam per diaconos ad aegrotantes et

eos,

(f) Cap. XIV. 6.

(g) Sacra ista volumina non V. solum et N. T. libri erant canonici; sed alia quoque scripta a viris sanctis et apostolicis perfecta, aliarumque ecclesiarum epistolae: Qualis erat epistola D. Clementis ad Corinthios, Hermae Pastor, Opera D. Ephraem. all. Vid. CAPE *estes Christentium*. p. 223. sqq.

(h) Quod nunc agimus, multiplici Orationum, Cantilenarum et consecrationum officio, totum hoc Apostoli, et post ipsos ut creditur proximi, orationibus



8

eos, qui in vinculis detinebantur, mittere solebant. Preces tandem, hymni, benedictiones et osculum concionem terminabant. Eadem quoque simplicitas eorum respectu obferuata erat, qui per baptismum christiano coetui iungendi erant. Vbi nempe per aliquod tempus religionis praeceptis fuerant imbuti, facta sollemni fidei in Christum professione, ubi et quando ipsis idoneum esse videbatur, ter penitus in aquam immergebantur nulla caeteroquin vel temporis, vel loci, vel personarum habita ratione, nisi quod soli antistiti ecclesiae conueniret, eiusque permissione presbyteri interdum baptizarent. Haec facies est christianae societatis, qualem nobis eam probatissimi auctores descriptam dederunt.

§. II.

Quodsi in causas huius simplicitatis inquirimus, facile perspicere licet, praeter naturalem rerum omnium conditionem, quae tenues plerumque sunt initio, praecipuam eius causam in exilibus primorum christianorum rebus et oppressionibus, quibus tum ob edicta Caesarum contra hetaerias, tum ob implacabile Iudaeorum odium subiecta erat christiana societas, esse quaerendam. Maxima tamen causa ab synagogae cultu originem ducit. Siue enim externam ecclesiae formam atque regimen consideramus, quo plures presbyteri sub vno quodam Episcopo seu Antistite, quomodo audit **IUSTINO MARTYRI**, *πρωτοῦ*, suo munere fungebantur, qualem nobis synagogae formam delineauit **VITRIN-**

A 3

GA

*nibus commemorationis passionis dominicae, sicut ipse praecipit, agebant, simpliciter. Proficiente dehinc religione, amplius acta sunt a Christi cultoribus Officia Missarum. REMESIUS Antiffiodorensis de celebr. Miss. lib. nam Missam B. Petrus Apostolus primus omnium Antiochiae dicitur celebrasse, in qua tres tantum modo orationes in initio fidei proferebantur, incipientes ab eo loco, ubi dicitur: hanc igitur oblationem. VALA FRIDVS STRABO de rebus Eccl. Cap. 22. DV PIN in Biblioth. Noua Auct. Eccles. p. 14.*



GA (i) siue ipsius cultus rationem atque naturam, qui precibus nimirum, hymnis et lectione librorum sacrorum absoluebatur praecipue, siue *τιτλας* et *ἀναγνώσματα*, in quae distincta erat scriptura apud christianos, vti in *פרשת* & *הפטרות* apud iudaeos, seu ipsos festos dies, diuino cultui ab antiqua ecclesia destinatos, vti Sabbathi et Paschatis obseruationem, seu ieiunia et bannum denique ipsum, cuncta haec clarissimo sunt indicio, quantum ex antiquo synagogae cultu sub primis initiis retentum a christianis atque seruatum fuerit(k). Maximo quidem opere studuerunt christiani, vt a iudaeis tum religio eorum, tum ipsi quoque quantum fieri vnquam posset, distinguerentur. Hinc conuentus suos *συναξεις* potius, quam *συναγωγας* vocari voluerunt, et in *Canonibus apostolicis* feuerissima lege vetitum est, ne quis cum iudaeis ieiunaret, aut festum cum eis ageret, aut xenia festi, azyma, aut simile quid ab iis acciperet (l); tamen fieri omnino non poterat, quin maxima vtrisque intercederet similitudo, quod ipse TERTULLIANVS (m) testatur, et tanta quidem, vt pro iudaeis vulgo haberentur christiani a gentibus(n), eorum religio, iudaica plerumque audiret supersticio, ipsorumque conuentus synagogae dicerentur. Etenim cum modo a iudaeis exirent, magnaue christianorum pars ab eis originem suam

(i) *De Synagoga Vetere.*

(k) *Apostoli, vt reformatio illa molliter et sine strepitu procederet, multa iudaeorum instituta, longi temporis usu confirmata, in ecclesiam christianam acceperunt. In horum numero censei solent, impositio manuum, Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Excommunicatio, Ordinatio, alia. — Cfr. SPENCERVS de Legg. Ebr. Rit. Diff. I. Cap. II. Sect. IV. VI-TRINGA de Synagog. Vetere p. 17. Proleg. Cap. 3.*

(l) *Canon. LXII. "Εἰ τις ἐπίσκοπος, ἢ ἄλλος κληρικός κησένοι μετὰ Ἰουδαίω, ἢ ἰορτάζει μετ' αὐτῶν, ἢ ἀρχεται αὐτῶν τὰ τῆς ἐσρατῆς ἕνεκα. εἶτον ἄζυμα, ἢ τι τοιοῦτον κατακοιῶτω" εἰ τὸ λαϊκός ἢ ἀφοριζέτω.*

(m) *Libr. de Baptisim. Cap. 5.*

(n) *Cfr. BINGHAM in Origg. Eccles. Vol. I. p. 13.*



suam traheret, haud aliter accidere potuit, quin multa, quae in synagogae usu fuerunt, retinerent, et ad eam, cuius cultus simplex valde erat, accederent quam proxime.

§. III.

Non dubito singulare christianorum studium et quantum fueri vnquam posset a iudaeis tum semetipsum tum religionem suam discernere, primis ecclesiae temporibus non parum ad quandam religionis immutationem contulisse; tamen vero clarissimum est, gentes inter quas christiani viuebant, earum ad meliorem religionem accessionem, ipsumque gentilismum eiusque disciplinam arcanam, tot tantisque preconiiis a sacerdotum et initiatorum grege elatam, tantaque admiratione, uti summae sapientiae officina, a rudiori plebecula suspectam, primam ansam praebuisse christianis hominibus, ut cultum suum gentilismo conformarent et pristina simplicitate recederent. Nolumus hic inquirere, vtrum male concepta quaedam religionis veneratio (o), au nouorum christianorum erga pristinos ritus propensio, an studium potius christianorum, ut adoptatis ethnicismi ritibus gentes eo facilius ad suas partes traherent uti *Clar. M VRSINNAE* visum est (p), an quaedam erga imbecilliores indulgentia, quum cuncta funditus tollere non possent (q), in causa fuerit; fieri enim potuit, ut cuncta haec simul concurrerent. — Prima, quod extra omnem dubitationem positum est, immutatio fuit, qua nempe arcanam disciplinam ethnicorum in christianismum inuecta, seu potius ad exemplum eius formata est religionis christianae facies. Translata tunc primum sunt in ecclesiae disciplinam verba ex hisce gentium sacris petita. Hinc *Sacramenta* mysteriorum nomine

(o) Το ζυζον inquit *SYNESIUS* καταγέλασται ὁ ὄμιλος δειττος γὰρ τερατείαις.

(p) Vorrede zu *Simonis* Vorlesungen über die christlichen Alterthümer p. 23.

(q) Ita visum est *beas. SIMONIS*. l. c.



nomine vocantur *μυήσεις, τελειώσεις, τελεταί, εποπταίαι* siue *έποψίαι, τελεσηρία, έργια, Φρικτὰ καὶ ἀπόρρητα μυσήρια*. Eucharistia siue coena domini in liturgiis graecis est ἡ κερύθια καὶ ἐπιφοβος τελετή, ipsique ecclesiae ministri *μυσαγωγῶν καὶ ἱεροφάντων* nomine occurrunt(r) quae cuncta nomina ex gentium sacris earumque arcani disciplina deriuata, et a libris sacris nostris alienissima esse, nemo dubitat. — Notissima formula est, qua, vbi mysteria celebranda erant, nondum initiati secedere iubebantur: *Procul hinc, procul inde profani!* vel *procul esse profani!* Ἐκασ' Ἐκασ' ἔξε βεβηλοί. — Pari modo catechumeni, energumeni et non initiati secedere iubebantur, vbi fidelium missa celebranda erat; *Exite Catechumeni in pace!* seu ἔξω περιπατεῖτε ὅσοι ἐνεργύμενοι, ὅσοι ἀμύητοι. Quo et *Ευφημισμος* ille vtrisque vtitatus, et alia pertinent, de quibus mox exponemus. — Maxima a primis inde temporibus opera data fuerat a gentibus, vt quae vera erant et genuina religionis suae dogmata, fabularum inuolucris alias tantum propofita, absconderent, et sancto et inuolabili silentio mandarent, ne euulgata vilescerent(s); idem arcani studium in rem

(r) Cfr. IS. CASAVBONI *Exercit. aduers. Bayonium. XVI.* et VAN DALE in *Diff. VIII. de Gymnasiarchis* p. 616.

(s) Nota sunt haec graecae superstitionis hierophantis, quibus inuolabili lege interdicitum erat, ne haec atque huiusmodi mysteria, apud eos qui his sacris minime initiati essent, euulgarent. NICETAS in D. GREGORII NAZIANZ. *Orat. eis τὰ ἁγία φῶτα.* Pari modo HORATIUS Lib. 3. Oda 3.

— *Vetabo qui Cereris sacrum  
Vulgarit arcanae sub iisdem  
Sic trabibus.*

Et ORPHEVS seu quisquis auctor est poematis, cuius mentionem facit EVSEBIUS de *Praeparat. Euang. Lib. III. p. 664. edit. Paris. 1628.* mystas ita alloquitur:

Φθόνου καὶ οἷς ἴμεν ἐς, δύρος ἀπειθε βεβηλοί (ε, οἷς)  
φύγοντες δικαίων βεσμως θείοιο ταθέντος  
Ἡᾶσι νόμον. —



rem publicam christianam translatum est, ut quod metus antea iubebat atque necessitas, tunc studio fieret, ut sacra mysteriorum caligine tegerentur res christianorum. Quod ad gentes atque iudaeos attinet, notissimum est, quantum olim scandalum ortum sit christianis, cum in causa D. ATHANASII et *Ischyrae* a *Philagrino* et commissariis Caesaris de talibus rebus quaestio publice institueretur, quae ad christianorum sacra tantum pertinebant. Ἐπὶ δὲ τῶν ἑθνικῶν inquit *Athanasius* ἐξήταζον περὶ Ἐκκλησίας, περὶ ποτηρίῃς περὶ τραπέζης καὶ τῶν ἁγίων, καὶ τὸ δευότερον ἑθνικοὺς ἐκάλεν μάρτυρας περὶ ποτηρίῃς μουσικῶ ζῆτῶντες (t). Et disertis verbis testatur idem D. AUGUSTINVS: *Opera nostra, inquit, vident et pagani, sacramenta vero occultantur eis(u). Sed non solum gentes a sacris christianorum hoc modo arcebantur, sed, qui ad religionem mox accessuri erant, Catechumenis modus administrandi baptismum, unctio seu χρίσμα, ordinatio sacerdotum, byurgia siue publicae preces ecclesiae, modus celebrandi eucharistiam, et ad certum tempus ipsum mysterium SS. Trinitatis, symbolum et oratio dominica occultabatur, donec maiores profectus fecissent et ad baptismum recipiendum essent idonei (x), iisque praesentibus obsecrate tantum eos et non aperte de mysteriis loqui solitos fuisse refert CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS (y): quidquod summam partem ex sacris christianorum, eucharistiam puto, ipsis presbyteris absconditam fuisse, ex verbis D. ATHANASII colligere voluit PFANNERS*

(t) Cfr. ATHANASII *Apolog.* p. 571. coll. *Sleury Kirchengeschichte*, 2. B. S. 395.  
 (u) Tom. VIII. ap. BINGHAM, in *Orig. Eccles. Lib. X. Cap. V. S. IV.*  
 (x) Cfr. BINGHAM, in *Orig. Eccles. Lib. X. Cap. V. S. IV. Sqq.*  
 (y) Ὅπου δὲ τῶν μυστηρίων ἐπὶ καταχουμένων λευκῶς λαλοῦμεν, ἀλλὰ πολλὰ πολυλόγως λέγομεν ἐπικεκαλυμμένως, ἵνα οἱ εἰδότες πιστοὶ νοήσωσι καὶ οἱ μὴ εἰδότες μὴ βλαβῶσι. *Catech.* VI.



RVS(z), ubi ita differit: Πρεσβύτεροι μὲν οὐκ ἐπιτρέπονται παρεῖναι οἱ καὶ τῶν μυστηρίων λειτουργοὶ τυγχάνοντες(a); Sed clarum est *Athanasium* de presbyteris pro testibus in causa sua non admittis sermonem habere. — Loca deinde mysteriis apud gentes dedicata, quam sanctissime omnibus abscondita, neque adire ea profanis licitum fuisse, nemo est qui ignoret(b); cistae mysticae, et quae in eis continebantur, totiens exprobatas gentibus a CLEMENTE ALEXANDRINO aliisque patribus, maxima cura tecta erant atque recondita; nocturno tempore sacra ista celebrare(c) more, seu lege potius sancitum erat; cuncta haec in religionem christianam translata esse videmus, sanctiora ecclesiae loca, quibus nemini, nisi solis sacerdotibus appropinquare fas erat, vasa sacra et quae cuncta eo pertinere videbantur quam sollertissimo studio profanis iudaeis atque gentilibus et catechumenis occultata, nocturna denique christianorum sacra, Vigiliarum nomine nota, cuncta haec inquam satis superque indicant

*res alta terra et caligine mersas.*

#### §. IV.

Quamquam nemo fortassis, cui notum est atque perspicuum, quid emendatior doctrina atque diuina veritas, cultor-

II-

(z) *Systema Theol. Gentil.* p. 31.

(a) *Apologia* p. 583.

(b) Cfr. LIVIVS *Histor. Lib. XXXI. Cap. 14.* edit. Amstel. 1664.

(c) οὕτως τοῦτο πιστεύεται τὸ μυστήριον inquit SYNESIVS in *Libr. de Provid.* Pari modo *Bachus* ap. Euripidem in *Bachus*, v. 168.

Νύκτωρ τὰ πολλὰ σεμνότητ' ἔχει σκοτος.

Vbi BARNESIVS ita differit: Tenebrae religiosi ritibus convenire putabantur. Quin et cathedrales Christianorum Ecclesiae fenestris vitreis multis colorum pigmentis obscuriores reddebantur: Et Ardenburgi Flandriae praecipue memoratur talis ecclesia olim fuisse, valde sua obscuritate angusta, cuius etiam hodie ruinae cernuntur.



ribus suis manifestare, promittere, largiri valeat, dubitauerit, quin maximis illa praeconiis digna, felicesque ter et amplius praedicandi sint, qui ea instructi atque imbuti sunt; tamen vero, quae christiani, recepta iam iam apud eos arcana gentium disciplina, de semetipsis suisque mysteriis praedicare solebant, ita sane comparata sunt, ut ex gentium mystagogia petita, eique quasi εἰς ζῆλον opposita esse videantur. — Sic vel ob clariorem cognitionis lucem, qua mentes eorum, qui per baptismum initiati erant, quasi illuminabantur, vel ob luce digna opera, quibus relicta quasi tenebricosa vita sese deuonebant in posterum, uti CAVEO videtur (d), φωτιζόμενοι & φωτιζέντες vocabantur baptizati, ipsumque sacrum lauacrum Φάτισμα siue Φωτισμός (e), vnde sinistra Nouatianorum explicatio dicti Paullini in *Epist. ad Hebr.* VI. 4. ἀπαξ φωτιζέντες originem duxit. — Pari modo ARI-STOPHANES initiatos, qui parem iactabant cognitionis lucem, morumque candorem, loquentes inducit (f):

Μόνοις γὰρ ἡμῖν ἥλιος  
 Καὶ Φέγγος ἰλαρὸν εἶναι  
 Ὅσοι μεμύημεθ' ἐν-  
 σεβῆ τε διήγομεν  
 Τρόπον περὶ τὸ ξένους  
 Καὶ τοὺς ἰδιώτας.

Quare deceptas et illusas per diabolum esse miseras gentilium animas dicit D. AVGVSTINVS (g) cum purgationem animae eis polliceretur per eas, quas τελετάς appellant. —

B 2

Licet

(d) WILL. CAVE *erites* Christentium. p. 264.

(e) BINGHAM in *Orig.* Eccles. Lib. XI, Cap. 1. §. IV.

(f) *In Ranis.* Act. I. p. 206. edit. Lugd. 1625.

(g) De Trinitate Lib. III, Cap. 10. ap. WARBURTONIVM de diuinis Leg. Mos.



Licet enim negari nequeat τὸ Φωτίζειν in libris sacris multo-  
 ties obuiam venire, nusquam tamen, quod CAVEO vide-  
 tur (h), de sacramento baptismi in vsu est, et nihil aliud signi-  
 ficat, quam docere et instruere, siue latissimo sensu acceperis  
 de cognitione nempe verae doctrinae, qua et irrogeniti gau-  
 dere, et illuminati dici possunt, seu strictiori sensu, et signi-  
 ficatione, qua nempe vegetum illud cognitionis ad solos *rege-  
 nitos* pertinet (i). — Θεώσω deinde, seu deificationem, arc-  
 tissimamque cum Deo et Christo coniunctionem tanquam finem  
 atque fructum mysteriorum, suis promittebant christiani,  
 certamque in futura vita salutem recte mysteria religionis per-  
 cipientibus: Et nunquam sane fructus deerit salutaris, siue  
 hanc, siue futuram vitam spectes, quem ex sacris religionis,  
 cuiuscunque fuerint generis sperare licet: tamen etiam si simi-  
 litudo Christi in futura παλιγγενεσία nobis exspectanda sit,  
 nusquam tamen Θεοποιεῖσθαι atque θέωσις (k) quae exoticam  
 gentium doctrinam manifesto sapit, nobis promissa, quem  
 honorem atque felicitatem epoptis suis promittere ethnici so-  
 lebant. τὰ τε μυστήρια inquit PROCLVS, καὶ τὰς τελετὰς  
 ἀνάγειν μὲν ἀπὸ τῆ ἐνόου καὶ θνητοειδοῦς ζωῆς τὰς ψυχὰς καὶ  
 συνάπτει τοῖς Θεοῖς (l). — Quodsi vero intentiori oculo anti-  
 quam christianorum societatem perlustramus, clariora et eui-  
 dentiora apparent huius arcanae disciplinae vestigia; nam et  
 ipsos tres atque solemnes gradus, Κάθαρσιν, Μύησιν & τελεί-  
 ωσιν (m) apud gentes vsitatos, in ritus suos transtulerunt.

Quod

(h) l. c. p. 264.

(i) ILL. MICHAELIS Theol. Dogmatica, Cap. XI, §. 128.

(k) Cfr. IS. CASAVBONI Exercitt. adu. Baranum.

(l) In Rempubl. Platon. Lib. I. WARBURTON in Diu. Leg. Mos.  
 Lib. II. Sect. IV.

(m) S. DIONYSIVS AREOP. de Ecclef. Hierarchia Cap. V. §. 3.  
 p. 358. Edit. Antwerp. 1634. Ἡ μὲν ἀγιωτάτη τῶν τελετῶν ἱεραρχία  
 πρώτη



Quod ad *καθάραση*, siue *purgationem* attinet, quae quasi pro-  
oemium erat, et praeparatio ad initiationem, *abstinentia*, *con-*  
*fessione*, et *castigationibus* absoluebatur. *Abstinentiae* studium,  
quod *in casto* esse dicebatur, et de cuius exacta obseruatione  
testimonium proferendum erat, praeter APVLEIVM, qui ipse suam  
initiationem, quantum per silentii sacramentum fieri poterat,  
memoriae prodidit, ARNOBIVS, S. CLEMENS ALEXANDRINVS,  
aliique ex patribus testati sunt. *Ieiunau* sollempnis vox erat,  
qua rogati in sacrorum eleusiniorum acceptionibus respondere  
solebant secundum ARNOBIVM(n). *Confessio* deinde peccatorum  
exigebatur ab iis, qui mysteriis erant initiandi(o), et nemo  
tandem admittebatur nisi si omnis generis castigationibus subiecerit  
(p) quarum duodecim diuerfos gradus recenset GREGORIUS  
NAZIANZENSIS(q) tantaeque feueritatis et acerbitatis, ut ipse  
TERTVLLIANVS merito eorum, qui iis subiecti essent constantiam  
animique fortitudinem peruersae christianorum sui temporis  
mollitiei opponeret (r). — Mysticam

B 3

mor-

πρώτην μὲν ἔχει Θεοειδῆ δύναμιν, τὴν ἐπὶ τῶν ἀτελέτων ΚΑΘΑΡΣΙΝ,  
μετὸν δὲ τὴν τῶν καθαρῶντων Φωτιστικὴν ΜΗΘΗΣΙΝ· ἐσχάτην δὲ καὶ τῶν  
προτέρων συγκυβαλαιωτικὴν τὴν τῶν μυηθέντων ἐν ἐπισήμῃ τῶν δικαίων μυ-  
ήσεων ΤΕΛΕΙΩΣΙΝ,

(n) *Aduers. Gentes, Libr. V.*

(o) Cfr. *Plutarch, Opp. Tom. II. p. 229.* edit. Francof. 1620. Vbi Lysander  
Lacedaemonius, Samothraciae sacra adiens, sacerdotem peccatorum  
confessionem exigentem interrogat: *Tuone iussu an Deorum?*  
illo autem respondente: *Deorum;* Tu itaque, inquit, *apage hinc, ego  
dii, ubi interrogauerint, dicam.*

(p) *Orat. I. adu. Julianum.*

(q) *Orat. 3. adu. Julianum.*

(r) *DE CORONA MILITIS. p. 457.* edit. Froben. 1562. *Erubescite  
commilitones eius, iam non ab ipso iudicandi, sed ab aliquo Mithrae mi-  
lite, qui cum initiatur in spelaeo, in castris vere tenebrarum, coronam  
in.*



mortem, quo nomine totum probationis tempus vocabatur, resurrectio et vita quasi excipiebat mystica in sacris gentium, ipsa nempe *Μύησις*, quae expiationibus quam plurimis absoluebatur, et certo respectu ad ipsa iam pertinebat mysteria, maiorumque quasi erat praeludium. *Ὁυκ ἀπεικότως* inquit igitur **CLEMENS ALEXANDRINVS** (\*) καὶ τῶν μυστηρίων τῶν παρὰ Ἑλλησιν, ἀρχεὶ μὲν τὰ καθάρσις καθάπερ καὶ περὶ τοῦ βαρβάρους τὸ λουτρὸν. Μετὰ ταῦτα δὲ τὰ μικρὰ μυστήρια διδασκαλίας τίνα ὑπόθεσιν ἔχοντα καὶ προσπαρασκευῆς τῶν μελλόντων. Et alio loco (s) πρὸ τῆς τῶν μυστηρίων παραδόσεως καθαρμούς τινας προσάγει τοῖς μυεῖσθαι μέλλουσιν ἀξιῖσιν, ὡς δεόν τὴν ἀθεὸν ἀποθεμένου δόξαν, ἐπὶ τὴν ἀληθῆ τρέπεσθαι παράδοσιν. Facta nempe confessione et sollempni professione, qua numini sese deuuebant, aqua, qua vel aspergebantur, vel manus, vel totum corpus lauabatur, sale et igne lustrabantur, et absoluta lustratione tanquam *regenerati* (t) ad summum gradum, *τελείωσιν* vide-

*interposito gladio sibi oblatam, quasi mimus martyrii, dehinc capiti suo accommodatam, monetur obuia manu a capite pellere, et in humerum se forte transferre, dicens mithram esse coronam suam: atque exinde nunquam coronatur, idque in signum habet et probationem sui, sicubi tentatus fuerit de sacramento: statimque creditur Mithrae miles, si deiecerit coronam, si eam in Deo suo esse dixerit. Agnoscamus ingenia diaboli, idcirco quaedam de diuinis adfectantis, ut nos de suorum fide confundas et iudices.*

(s) *Seromat. Lib. V. p. 714.*

(t) **TERTULLIANVS** Lib. de Baptismo p. 704 edit. Froben, 1562. ita disserit: *Sacris quibusdam per lauacrum iniantur Iſidis alicuius aut Mithrae. — Idque se in regenerationem et impunitatem periuuorum suorum agere praesumunt.* Et in Libro de Proscript. adu. Haeret. p. 110. *A diabolo, cuius sunt partes interuertendi veritatem, qui ipsos quoque res Sacramentorum diuinorum in idolorum mysteriis aemulatur. Tingit et ipse quosdam, utique credentes et fideles suos, expiationem delictorum de lauacro repromittit, et sic adhuc inſitias Mithrae, signat illic in frontibus milites suos, celebras et panis oblationem, et imaginem*



videlicet accedebant. — Equidem si adcurate cuncta ponderamus, ipsa ea, quae spiritus erroris ad veritatis quasi illusionem inuenerat, quibus anxios seruatorum suorum animos demulceret, iam in ipsis christianae doctrinae fundamentis quodammodo posita esse videntur. Quid enim externa baptismi ceremonia adumbrat ex sententia D. PAVLLI Rom. VI. 4. 5. 6. nisi mysticam mortem atque resurrectionem? Qualem nempe ex promissione Christi regenerationem sperare debebant christiani, eam suis quoque persuadere erroris spiritus cupiebat. Quid sacramenti Domini participatio, nisi intima cum Christo coniunctio? Tamen adcurata ista distinctio, in quam vniuersam τῶν τελετῶν ἱεργίαν dispescit D. DIONYSIVS AREOPAGITA nempe in Κάθαρσιν, Μύησιν & Τελείωσιν sive Εποψίαν, vti supra demonstrauius, apostolorum temporibus, quibus sola in Christum fides requirebatur, plane ignota fuit, et tunc demum recepta est, vbi ad arcanam gentium disciplinam formata est ecclesia. Sic, vbi eas praeparationes consideramus, quae ipsam sollempnem baptismi initiationem praecedere solebant, iisdem fere exercitationibus per viginti dies subiiciuntur catechumeni, ieiunii nempe abstinentiae, confessionis et poenitentiae exercitiis, quibus ad sacra percipienda purgari solebant apud gentes (u). *Ieiunii mentionem facit TERTVLLIANVS (x): Ingressuros inquit baptismum orationibus crebris, ieiuniis, geniculationibus et peruigiliis orare oportet. — In casto esse seuera adeo lege exigebatur, vt a legitimis quoque vxoribus abstinere de-*

*resurrectionis inducit.* Putat quidem VAN DALE Diff. I. p. 10. sqq. haec ante christianismum gentibus plane ignota fuisse et non de Romanorum et Graecorum ritibus, sed de *Mithra* tantum loqui TERTVLLIANVM. Verum et Iliacorum meminit, atque cuncta haec ex vna eademque antiqua origine, Aegyptiorum nempe sacris profufluxisse, a Warburtonio aliisque viris doctis abunde demonstratum est.

(u) Cfr. BRINGHAM. Origg. Eccl. Lib. X. Cap. II. §. IX.

(x) *Libr. de Baptismo.* Cap. 20.



berent secundum D. AVGVSTINVM (y). *Non admitte-  
rentur inquit, si per ipsos dies quibus — purgantur, cum suis  
legitimis et veris vxoribus se concubituros profiterentur, atque  
huius rei, quamvis alio tempore licitae, paucis ipsis solemnibus  
diebus nullam continentiam seruaturos.* Confessionis peccato-  
rum, castigationis et exercitiorum poenitentiae, TERTVL-  
LIANVS quoque mentionem iniicit: *Geniculationibus et  
peruigiliis orare oportet et cum confessione omnium retro  
peccatorum (z).* Quodsi ipsam *μύσση* siue baptismum specta-  
mus, non minor sane apparet consensus. Omitto signaculum  
in fronte, quod secundum eundem ecclesiae patrem (a) in  
facris gentium vsitatum erat: fieri enim potuit, vt communis  
eorum temporum consuetudo, qua nihil vel incipere vel fa-  
cere solebant, nisi si crucis signo prius se signauerint (b) et hic  
praecipue ansam praebuerit huic ritui. Praeter solum aquae  
lauacrum, a Christo institutum, et ab apostolis vsurpatum,  
post sollemnem professionem, qua omnibus renunciabant et  
Christo se deuouebant, *Ignem insuper et Sale lustrabantur.  
Accipit catechumenus Sal* inquit BURCHARDVS WOR-  
MACENSIS, *vt fluxa et putrida eius peccata sapientiae sale,  
diuino numere, mudentur (c).* Idque non solum in ipso ba-  
ptismo, sed iam in catechumenatu, datum esse iis, qui initi-  
andi erant a Cardinale BONA (d) demonstratum est. Eadem  
quoque

(y) *Libro de Fide, Cap. VI,*

(z) *l. c.*

(a) TERTVLL. de baptismo, p. 704. *Signat illic frontibus milites  
suos,*

(b) TERTVLL. de corona militis, p. 449. *Ad omnem progressum at-  
que promorum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum et calceatum  
ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quaecumque  
nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.*

(c) Cfr. B. RHENANVS ad Tertullianum de corona militis, p. 435,  
et ALBASPINAEVVS de vet. eccl. rit. p. 411.

(d) BONA de rebus liturgicis, p. 180.



quoque fuit ignis ratio, in vtrorumque, gentium et christianorum sacris adhibiti. *Noli festinare*, inquit igitur D. AVGVSTINVS, *ad aquam; per ignem transi ad aquam, ut transeas et aquam; propterea et in sacramentis et in catechizando et in exorzizando adhibetur prius ignis* (e). Et sic denique perfecta initiatione ad mysteriorum consummationem, τελείωσι nempe eis accedere licitum fuit. De quibus cunctis fufius disseruerunt BINGHAM in *originibus ecclesiasticis*. QVASIVS in *dissertatione de mysteriocyphia veterum christianorum*. TENZELIVS in *disciplina arcani*. alii.

### §. V.

Licet ex iis, quae modo disputauimus haud obscurum sit, quanta vtrisque gentium et christianorum sacris, intercedat consensus, quantumque ex paganismi disciplina in ritus suos olim christiani transtulerint: dubium tamen suboritur, non exigui, siquid video, momenti, vbi vel adcurato iudicio, quid plerique omnes praescae ecclesiae praeceptores de hisce gentium sacris senserint, ponderamus, vel comparationem istam examinandam nobis sumimus, quam inter noui et antiquioris foederis religiones instituere plerumque solent. Nemo enim eorum temporum fuit christianorum, quin infandae impietatis ethnicorum initia arguerit, et ita nobis ea descripta dederit, vt fere dubites, vtrum pueriles sane scurrilitates atque ineptias irridere, an foedas potius clandestinae religionis turpitudines abhorrere debeas? Ita doctissimus fere omnium graecorum patrum (f) de hisce mysteriis et sacris disserens, τοῦ δρακόντος inquit, μυστήρια ἀπάτη τίς ἐστὶ, θεσ-  
κευομένη τὰς ἀμυήτους ὄντως μύσεις, καὶ τὰς ἀνοργιάζους τελε-  
τὰς

(c) Comment. in Pl. LXV.

(f) CLEMENS ALEXANDRINVS. Admonit. ad gentes, p. 14. edit. Paris, 1641.



τάς εὐσεβεῖα νόθῳ προσρεπομένη, οἷαι τε καὶ αἱ κίτριαι αἱ μυσημαὶ  
 δεῖ γὰρ ἀπογυμῶσαι τὰ ἅγια αὐτῶν καὶ τὰ ἀρρήτα ἐξεπεῖν.  
 Ὅυ σησαμαὶ τὰυτα καὶ πυραμίδες καὶ τολύπαι καὶ ποπάνα πο-  
 λυόμφαλα, χονδροὶ τῶν ἀλῶν ὄργιον Διονύσε Βασσάρε; Ὅυχ  
 ροιαὶ πρὸς τοῖδε καὶ καρδιαὶ, ναρθηκῆς τε καὶ κιττοι; πρὸς δὲ καὶ  
 φθοῖς καὶ μήλωνες; ταῖτα δ' εἰς αὐτῶν τὰ ἅγια καὶ προσέτι τῆς  
 θεμιδος τὰ ἀπόρρητα σύμβολα, ὄργανον, λυχνος, ξίφος, κτεῖς  
 γυναικεῖς, ὁ εἰς ἐνφῆμας καὶ μυσηκῶς εἰπεῖν μὸριον γυναικεῖον.  
 Ω τῆς ἐμφανῆς ἀναχυντίας. — Idem Iouis atque Cereris, in  
 sacris eleusinis, Bacchi autem et Prosymni peruersum amo-  
 rem in orgiis praecipuum obiectum esse demonstrat (g), tanta-  
 que certitudine turpissimae veneris gentes accusat ARNO-  
 BTVS, vt ne quidem *Heracliti* testimonium excitare velit,  
 sed ex ipsis graecis omnibus, phallorum in hisce sacris clande-  
 stinis celebratorum explicationem quaerere iubeat (h). Et  
 sane tot magistratum studia, vt pristinis legibus sacra ista re-  
 stituerent (i) abususque exuberantes remouerent, ipsorumque  
 ethnicorum de deprauatione mysteriorum testimonia, in-  
 diciō sunt, non adeo remota fuisse eiusmodi crimina et in-  
 eptias ab arcanis graecorum et romanorum religionibus, nec  
 soli inuidiae atque partium studio esse tribuenda, quae de iis  
 ecclesiae patres memoriae prodiderunt, vt **WARBVR-**  
**TONIO** (k) visum est. — Num autem verisimile est, ad  
 eius-

(g) l. c. p. 10. 21. 22;

(h) *Adu. Gentes*, p. 177. edit. Lugd. 40. 1651. *At ne quis forte a nobis  
 tam impias arbitretur constatas res esse, Heraclito testi non postulamus,  
 vt credat, nec mysteriis volumus, quid super talibus senserit, ex ipsius  
 accipiat lectione, totam interroget Graeciam, quid sibi velint hi Phalli,  
 quos per rura, per oppida mos subrigit et veneratur antiquus; inueniat  
 causas et eas res esse, quas diximus: aut si fuerit pudicum, veritatem  
 simpliciter explicare, quid obscurare, quid tegere causam ritus atque  
 originem proderit, cum criminatio ipsa religionis in re sit?*

(i) Cff. **WARBVRTON** *Dis. Leg. Mos.* Lib. II. p. 245.

(k) l. c. p. 254. 199.



eiufmodi sacra sanctiffimas suas religiones conformasse christianos, quae totiens ab eis accusabantur, et uti inuentum mali daemone, pestisque humani generis depingebantur? — Verum enim vero, si ad ea, quae de hoc genere ecclesiae patres memoriae prodiderunt, diligenter attendimus, tantum profecto abest, ut sine villo discrimine, quae in sacris gentium erant, cuncta damnarent, ut deprauatam potius iam illa aetate disciplinam vituperarent tantum, magnas caeterum et diuinas veritates in iis contineri existimarent, quae furto quasi ad philosophos myfteriorum iuuentores translatae ipsis esse videbantur. Παρέταμεν inquit CLEMENS ALEXANDRINVS (1) κλέπτας λέγεσθαι τοὺς τῶν ἐλλήνων φιλοσόφους παρὰ Μωσεῶς καὶ τῶν προφητῶν τὰ κυριώτατα τῶν δογμάτων οὐκ ευχαρίστως ἐλειφότας. Et alio loco: Ὅτι τὰ μυστήρια θέμενοι, φιλόσοφοι ὄντες, τὰ αὐτῶν δόγματα μύθοις κατέχωσαν ὥστε μὴ εἶναι ἀπασὶ δῆλα. — τὴν δὲ τῶν ὄντων ὄντων ἀγίαν καὶ μακαρίαν θεωρίαν οὐ παντὸς μᾶλλον ἐπιτεκρῦφθαι συνέφερον: (m) — Nunquam autem haec, quae vera in iis erant, impugnata, sed, ut suis metipsis armis gentes debellarent, saepenumero ab ipsis ecclesiae doctoribus ad veritatis assertionem excitata, et ubi seuerissima de iis ferebatur sententia, pro furto et ad veritatis imitationem a malo genio perfecta fictione habita sunt. Quae cum ita sint, hac saltem in parte nihil esse potuit, quod christianos impediret, quo minus et ex corruptissimis, quae bona erant atque integra secernerent et in suos usus conuerterent, vel quae sua esse agnoscebant, quasi recuperarent. — Sed quod maioris momenti esse videtur, illud omnino est, quod ipsi primorum temporum patres, ubi arcanae huius disciplinae mentionem faciunt, eam cum obscuro et aenigmatico veritatem docendi genere plerumque conferre soleant, quod in antiquo

C 2

olim

(1) Stromat. Lib. V. p. 550.

(m) Stromat. Lib. V. p. 575. coll. Lib. I. p. 285.



olim foedere obtinuit, tanquam inde originem traxerit, seu ad eius conformata fuerit exemplar. Ita enim differit CLEMENS ALEXANDRINVS (n): *Διὰ τοῦτο τοι τῆς ἐπικρύψεως τὸν τρόπον θεῖον ὄντα ὡς ἀληθῶς καὶ ἀναγκαιότατον ἡμῖν ἐν τῷ ἀδύτῳ τῆς ἀληθείας ἀποκειμενον, ἱερὸν ἀτεχνῶς λόγον Ἀιγύπτιοι μὲν διὰ τῶν παρ' αὐτοῖς ἀδύτων καλουμένων, ἔβραιοὶ δὲ διὰ τῆ παραπετάσματος ἠνίζαντο.* in quo argumento per totum fere quintum librum Stromatum occupatus est. — Verum etiam si, quod supra a nobis iam demonstratum est, non pauca ex iudeorum ecclesia in religionem transferint, vel seruata potius fuerint, vt alii ritus de quibus hic non est differendi locus, et iudaeis quoque arcana quaedam disciplina fuerit, si quidem hoc nomine typorum doctrina vocari potest: fieri tamen omnino nequit, vt haec, de quibus altum est in sacris V. T. libris silentium, et luculentissima exstant in sacris gentium documenta, ex iudaismo potius, quam ex gentilismo profluxerint. Vnde ipsi ecclesiae patres, vbi ad antiquam iudeorum religionem confugiunt, causam potius pro recentioribus suis inuentis dicere, quam diuinam eorum originem demonstrare voluisse videntur. Sed ad alia quae externam reipublicae christianorum faciem spectant, nos conferimus.

#### §. VI.

Quodsi primis christianae societatis temporibus ex gentium disciplina quam plurimi iam iam ritus atque consuetudines in ecclesiam transferunt; reddita per CONSTANTINVM M. pace, cum fastuosissimis ab eo extructis templis (o) multo sane splendidiorem cultum et a pristina simplicitate magis alienum recepit religio, multo plures ritus ex gentilismo in eam translatos esse videmus. Colligenda a nobis sunt

(n) Stromat. Lib. V, p. 555.

(o) Cfr. EVSEBIUS in Vita Constantini, Lib. III. IV.



sunt, quae de hoc genere hinc illinc disiecta quasi membra iacent, quantum augusti huius dissertationis termini patiuntur, et primum videamus de locis religionis cultui dedicatis. — Quod ad *templa* attinet, magnam illam similitudinem, quae gentium et christianorum templis olim intercesserit, iam a IVRIEV notatam esse video in illo libro quem de dogmatibus et cultu ecclesiarum conscripsit (p): nec aliter profecto accidere poterat, cum ipsa ethnicorum templa insequentibus temporibus in christianorum dicionem transfirent. Quod si ipsam templorum structuram spectamus, alia in eis pro diuerso christianorum statu atque conditione adornata erant, ut *μεσάυλιον* hieman- tium locus, *νάρθηξ* exterior lugentibus, interior catechume- nis adsignatus et *ναός*, ubi fideles cultui diuino praesto erant (q); alia vero cultui templi hierosolymitani conformata, qualis illa erat diuisio in diuersa atria, sanctum et sanctum sanctorum, ad quod solis sacerdotibus accedere licuit (r): tamen et hic quaedam occurrunt, quae ita comparata sunt, ut haud ob- scure gentilitiam originem prodant. — Tempia ita plerum- que apud gentes erant exstructa, ut ad orientalem plagam spe- ctarent, qualem nobis de templo Deae syriae descriptionem dedit LVCIANVS (s); eandem non solum ubi exigebat ne- cessitas, obseruatam videmus consuetudinem a christianis, sed tanto quoque studio cultam, ut in CANONIBVS APO- STOLICIS lege sanciretur, ut ita construerentur ecclesiae (t):

C 3

H

(p) *Histoire des dogmes et des cultes*, p. 762. *Amsterd.* 1704.

(q) LEO ALLATIVS *de Templis Graecorum*.

(r) Cfr. BINGHAM in *Orig.* Eccl. Tom. III. p. 177. sqq.

(s) *De Dea Syra*.

(t) Lib. II. Cap. 57. BINGHAMIVS quidem quarundam ecclesia- rum mentionem facit, contraria plane ratione exstructarum. Patet vero ex scriptoribus et exemplis ab eo excitatis, insolentem profus hunc morem fuisse, et tempore insequenti a pristina et prima regula sensim declinatum.



Ἡ οἶκος ἔσω ἐπιμήκης κατ' ἀνατολὰς τετραμμένος. Certe a iudaicis haec consuetudo neuitquam deriuari poterat, qui diuina ita lege iubente ad occidentem solem sanctuaria condere et sacra sua obeuntes, terga orienti dare solebant. — Gentiles porro rem diuinam facturos et ante templi ingressum manus lauare solitos fuisse, omnes norunt. Hinc non solum prope fontes, riuos atque lacus sacraria sua condere, sed si id fieri non posset curare solebant, vt labra saltim prope essent, vnde ipsa *delubra* nomen suum traxisse SERVIVS (u) auctor est. Pari ratione fontes s. piscinas, vti quoque vocantur, ex aduerso ecclesiarum a christianis adaptatas esse videmus. Ἐν ταῦτα inquit EVSEBIVS (x) καθαρσιῶν ἐτίθει σύμβολα κρήνας ἀντικρυσ εἰς πρόσωπον ἐπισκευάζων τῆς νεῶς, πολλῶ τῶ χεύματι τοῦ νάματος τοῖς περιβόλων ἱερῶν ἐπὶ τὰ ἔσω προϊῶσι τὴν ἀπόρρυψιν παρεχομένας. vnde asperisiones cum aqua benedicta siue lustrali ante ecclesiae ingressum, originem suam petiisse nemo facile dubitat, de quibus infra demonstrabimus. — Cum templa communi ac publico numinis cultui inferuire deberent, ex re omnino esse videbatur, vt in ipsis vrbibus et vbi maxima esset hominum frequentia exstruerentur; tamen male concepta quadam religionis veneratione factum est apud gentes, vt in solitariis atque obscuris locis sacraria sua condere, de quo exempla documento sunt quam plurima apud graecos et romanos. Et quidem, quamquam primis ecclesiae temporibus, in solis vrbibus oratoria sua aedificarent christiani; nam ipso *Diocletiano* imperante, in sola vrbe Roma plus quam XL. ecclesias christiani tenuerunt(y): ruente tamen in peius religione, in hoc quoque gentiles imitati sunt, vt hinc illinc in remotioribus et obscuris locis templa sua disponerent(z). Verum

(u) *Ad Virgilium Aeneid.* Lib. II. 225.

(x) *Histor. eccl.* Lib. X. Cap. IV.

(y) CAVE *erstes Christenthum*, p. 109.

(z) Cfr. HOSPINIANSVS de Templis, Lib. I. p. 33.



Verum si quid vnquam gentilismi maxime prodit vestigia, dedicationes sunt atque consecrationes sollemnes templorum. Conueniunt christianos interdum, vbi martyrum suorum corpora, vel ossa condita erant, anniuersaria eorum celebrata, ipsisque ea loca sacra fuisse, testes sunt patrum ecclesiae quam plurimi. Sed nulli nisi soli DEO templa dedicata legimus: initiata quidem et consecrata; sed nullae lustrationes aqua benedicta, nullae cruces ex cereis, oleo et thure, nullae litterae graecae et latinae in cinere delineatae; precibus potius iniciantur ipsis (CONSTANTINI M. temporibus (a). Atque quam religiosissime hunc morem D. AVGVSTINI adhuc aetate obseruatum fuisse, variis testimoniis veterum HOSPINIANVS comprobauit (b). Vt vero sensim a pristinis moribus atque institutis delirantes christiani in multis aliis gentes imitati sunt, idem illud in hoc quoque factum esse videmus. Etenim quae primo tempore martyrum tantum erant memoriae, mox in templa commutantur et vti prisca roma et graecia diuersis idolis suis delubra dedicauit vel singulis vel *εὐθεγοῖς*, vel omnibus diis, ita qui Christo nomen dederant, angelis, sanctis et martyribus, vel singulis vel iunctim colendis, sacraia, aediculas, templa denique integra dedicant atque consecrant. Nec minora sane gentilismi apparent vestigia in ipsis consecrationis templorum ritibus, quae adeo clara sunt, vt si definiendi, inaugurandi, lustrandi, dedicandi modos inter se contuleris, profecto non diu dubitaueris, quin ex prisca ethnicorum disciplina quoad maximam partem partem originem suam sumserint, quibuscunque etiam argumentis

(a) EVSEBIVS in vita Constantini M. Lib. III. Refert quidem BINGHAMVS in originibus eccl. Lib. VIII. Cap. IX. §. I. cum magna rituum solemnitate ecclesias dedicatas fuisse, sed EVSEBIVS *εὐθεγοῖς* et in pluribus *ἀγοῖς*, de singulis accurate differens, ne vnicum quidem verbum de ritibus protulit.

(b) I. c. lib. I. cap. IX. p. 54. sqq.



mentis DV RANDVS (c) causam suam defendere studeat. Sed in ipsa quasi templa ingrediamur, et altaria, imagines, lampades, taedae aliaque huius generis, quibus falso idololatriae splendori vanoque cultui assuetis gentibus magis acceptabilem religionem suam reddere nitentur christiani, magis magisque demonstrabunt, quantum ex gentilissimi pompa primis et puris christianorum ritibus quasi assutum fuerit.

### §. VII.

Diu disputatum est inter eruditos, ut de altaribus incipiam, utrum haec priscis christianis iam nota, an post quartum demum saeculum in ecclesiis exstructa fuerint? Et vile sane argumentum est, quod ex duro primorum temporum fato petitur, quibus nempe factum sit, ut lignae et portatiles mensae in usu tantum fuerint, quas irruente calamitate facile remouere potuerint. Quodsi enim integras aedes iis ipsis temporibus condere licuit christianis, nemo profecto facile dubitauerit, quin multo magis aras lapideas condere potuerint. Nec maioris sane momenti ac ponderis argumentum est, quod ex historia motuum, a *Donatistis* concitatorum petitur, qui nempe effractis ex altare lignis pro fustibus atque telis usi sunt referente D. AVGVSTINO (d). Fieri enim facile potuit, ut angulares tantum postes ex ligno essent, reliqua vero ex lapidibus constructa. Nec maiorem auctoritatem habent, quae ex altera parte pro altarium usu in primitiua ecclesia ex IGNATIO et TERTVLLIANO argumenta proponuntur, cum mysticum sacrificium et oblationes ansam facile praebuerunt christianis, ut mensae sacrae, *Θυσιαστήριον*, arae et altaris nomen imponerent. Cunctis autem, quae ab utraque parte argumenta in medium proferuntur, et de hoc genere ab antiquis memoriae sunt prodita,

aequa

(c) V. Rationale Diu. Off. Lib. I. Cap. VI.

(d) Cfr. BINGHAM in originib. eccl. Libr. VIII. Cap. VI. §. XXI.



aequa lance ponderatis, haud diu haesitandum esse arbitror, quo minus in eorum sententiam transeamus, qui priscis primitivae ecclesiae temporibus ignotas plane aras fuisse statuerunt (e). Quodsi enim, uti supra monuimus, ad synagogae exemplar christianae societatis primus formatus cultus est, ab eorum concionibus procul omnino abesse debuerunt omnis generis altaria. Fieri sane potuit, ut quam de incruento et mystico sacrificio fovebant opinio, non parum eos ad altaria condenda excitaret uti ipse antiquioris foederis cultus in templo iudaeorum in multis postea imitatus; tamen quae ad haec accesserunt, gentilissimi manifesta sunt specimina. Mitto flores atque ferta, quibus hodie adhuc in sollemnioribus suis festis templa atque altaria ornat romana ecclesia (f), thuris suffimenta in iis incensa, quae priscis christianis non solum ignota penitus, sed uti profana et gentilicia reiecta quoque sunt (g), post vero ad gentium imitationem admitta:

*Coronatas thure piaueris aras.*

Multitudo atque dedicatio altarium, statuae et imagines iis impositae tanto argumento atque indicio sunt, ut quae minoris generis sunt, facile praetermittere possimus. Et quidem non vni DEO soli in vno templo vnum tantum altare devotum erat, sed plura mox in vna eademque ecclesia exstruuntur, non DEO soli, cui tantum dedicanda esse altaria, prisca semper statuerat ecclesia, verum Diuis quoque sacella et arae dedicantur, quales in templis gentium aras suas atque sacella  
idola

(e) HOSPINIANVS de templis, Lib. II, p. 84. sqq.

(f) POLYDORVS VERGILIUS de rerum inventoribus Lib. V. Cap. I. *Apud nos festis diebus templa — aulaeis exornantur lauro, haedera aliisque festis frondibus vestiuntur fores ac vestibula decorantur coronis, spargunturque floribus, quae hercle omnia ipsi idolorum cultores aurea seruabant.*

(g) Cfr. DALLAEVS de obiecto cultus religiosi, Lib. II, Cap. XV.



idola habebant. — Religionem falsam ubiuis locorum per agros et vias statuas atque aras diis suis posuisse, omnes sciunt. Extra templa pari modo effertur cultus, atque hinc illinc per agros et vias martyribus et sanctis arae atque statuae collocantur. Quamquam enim in *Canone XIV. Concilii Carthaginensis A. C. 438.* habiti lege sancitum sit, *ut altaria, quae passim per agros et vias tanquam memoriae martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiae martyrum conditae probantur, ab episcopis, qui iis locis praesunt, evertantur;* apparet tamen ex ipso eodemque canone, eiusmodi altaria vere exstructa, nequa, ubi martyrum modo essent reliquiae, evertenda. Quam extra templa et in ipsis ecclesiis altarium multitudinem ad ethnicorum imitationem factam esse **HOSPITIANVS** auctor est (h). Haud minori iure eo referendae esse videntur imagunculae et statuae sanctorum atque martyrum, aris, quae ipsis dedicatae erant, impositae. Per tria nempe prima ecclesiae saecula nullas, neque cruces, neque sanctorum imagines in templis christianorum positas aut suspensas fuisse, omnis antiquioris ecclesiae testatur historia. Ita patribus in concilio Eliberitano A. C. CCCV. congregatis placuit, *pictureas in ecclesiis esse non debere, ne quod colitur vel adoratur in parietibus pingatur.* Quam sancto porro zelo motus **D. EPIPHANIVS** velum in quo Christi picta imago erat, Anablathae in ecclesia, disciderit, ipse auctor est in epistola ad **IOANNEM** hierosolymarum episcopum perscripta, quam latinam fecit **D. HIERONYMVS** (i). Fatetur quidem **D. AVGVSTINVS** (k) *multos esse sepulchrorum et picturarum adoratores;* verum ipse hoc tum de imperita et rudiori plebecula externis eiusmodi signis superstitione adhaerente, tum de *Carpocratianorum* haerese, quam et *Marcellam* prae-

(h) l. c.

(i) Epist. LX, Cap. V. p. 211, edit. Plantin. 1578.

(k) *Libr. de moribus eccl.* cap. XXXIV.



praecipue *imagines Iesu, Pauli, Homeri et Pythagorae adorando incensumque ponendo coluisse tradit* (l). Verum enim vero, quam valde etiam prisca semper ecclesia imagines abhorruerit, sensim tamen in templa introductae sunt, nec quarto demum exeunte saeculo, a PAVLINO quodam Nolensium episcopo, uti BINGHAMIO (m) visum est, sed ipso CONSTANTINO M. ansam praebente, a quo nempe Crux non signis solum militaribus imposita, sed ubique in templis et altaribus, in foris atque viis collocata atque erecta est, primaque sua initia *σαυρολατρία* coepit, unde ad *εικονολατρίαν* facili negotio transgressum est, donec septimo tandem saeculo a GREGORIO II. romano pontifice et episcopis palam vrgeretur atque defenderetur. Hinc illinc itaque in templis affiguntur cruces et imagines, altaribus imponuntur, et ut inter gentes erat

*Omnibus ante pedes posita — sua cuique vetusta  
Arula, —*

sic singulis quoque aris sanctorum, quibus dedicatae erant, imponuntur imagines. Etenim cum priscam, vel nollent penitus eradicare superstitionem circa imagines et imbecilliorum animis indulgere (n), vel plane non possent, factum esse vide-

D 2

tur,

(l) *De Capocrat. Haeres. VII.*

(m) *l. c. Libr. VIII. Cap. VIII. §. VII.*

(n) Hoc quoque referendae esse videntur *imagunculae, tabulae, aliaque huius generis insignia*, ob reparatam salutem et validitatem in Ecclesiis suspensa apud Romanenses et Graecos. Eiusmodi enim *ἀναθήματα* Graecos olim et Romanos ethnicos, in Deorum templis, uti e. c. in *Aesculapii* ob recuperatam validitatem, in *Neptuni* ob salutem ex naufragio rell. posuisse, omnes norunt. Ita CALLIMACHVS Epigram. LI. p. 224. edit. Spanhem.

*Τὴν ἀλήνην Ἐυδήμιος ἐφ' ἧς αἶλα λιτος ἐπεθλῶν  
Χειμῶνας μεγάλους ἐξέφυγεν θανάτων  
Θῆκε θεοῖς Σαμόθραξι: λέγων ὅτι τῆνδε κατ' ἐυχῆν  
Ὁ λαοὶ, σαθεὶς ἐξ ἄλλοι κατ' ἔθετα.*

Simile



tur, quod de GREGORIO THAVMATVRGO refert GREGORIVS NYSSENVS, vt imagines in templis affigerentur, vt a futilibus auersi simulacris in Deum respicerent, et virtutes sanctorum, quorum signa ante oculos habebant, memoria pii recolerent. — Transeo ad cereos et lampades in ecclesiis accensas. Et nullum quidem dubium est, quin primi christiani in conuentibus suis, quos metus nocturnus et in obscuris locis habere iubebat cereis vsi sint: verum quanto studio, vbi iis non opus erat amplius, omnem eorum vsum, vti profanum atque gentilicium, reiecerint, tum primorum patrum, tum ecclesiae effatis perspicuum est. Ita nempe ARNOBIVS cerealium insaniam increpans: *Ergone, inquit, dii vestri amissa quaerunt vt homines, et sub sole clarissimo cum lucernis et facibus vrbs peragrant vastitatem?* (o). Pari modo TERTVLLIANVS, *accendant inquit, lucernas, quibus lux nulla est* (p): et alio loco: *Quis philosophum docuit sacrificare aut deierare aut lucernas meridie vanas profituere* (q)? Et in concilio eliberitano lege vetitum legimus, *ne lucernas publice accedant fideles* (r) quod est per diem, ritu gentili, vti RIGALTIVS exposuit. — Quodsi gentium sacra intentis oculis perlustramus, non solum in *λυχνουαίαις*, et isiacis aegyptiorum, quorum mentionem facit HERODOTVS (s), et in cerealibus graecorum et latinorum, quae

Simile Epigramma in tabulam Aesculapio dedicatam, LVIII. p. 228.

Τὸ χρέος ὡς ἀπέχεις Ἀσκληπείε, τὸ πρὸ γυναικὸς  
 Δημοδίκης Ἀκέσων ἄφελον, ἀρξάμενος  
 Γινώσκειν. Ἦν δ' αὖτε λάθῃ, καὶ μὴ μιν ἀπειτῆς  
 Φησὶ παρέξεδαι παρθενίην ὁ πίνυξ.

- (o) *Adv. gentes*, Lib. V.  
 (p) *Libr. de Idolol.* Cap. V.  
 (q) *Apolog.* Cap. XLVI.  
 (r) *Canon.* XXXIV.  
 (s) *Herod.* Lib. II.



quidem ARNOBIVS praecipue tangere videtur. lampadum, cereorum, ac lucernarum vsus fuit frequentissimus; sed ubique in cellis, deorum ubi posita simulacra erant, ardentes lampades suspensas et candelabra cum cereis posita fuisse, vno ore omnis antiquitas testatur. Tale canopitae deo, viginti praeditum ellychniis dedicatum refert CALLIMACHVS (t); pretiosissimi candelabri e gemmis clarissimis, ab Antiocho Syriae rege Ioui capitolino dedicati, vt in Iouis cella poneretur, meminit CICERO (u): nec in Vestae solum sacriis, vt plerisque visum est, perpetuus ignis seruabatur (x), sed in aliis quoque, vt in templo Iouis Ammonii, *Καρυσις* Apollinis aliisque *λύχνος ἄσβεστος*, nec festum sane erat, seu cultus sollemnis, quin facibus, taedis atque cereis illustratus fuerit. — Omnis haec merae superstitionis propago atque progenies in ecclesiam translata est insequentibus temporibus. Ipso meridiano sole splendente diei lumini lucernis succurritur: vix res sollemnis agitur, quin cerei accendantur: splendent lampades, in altaribus et ante sanctorum et martyrum statuas atque picturas collocantur, et vt nunquam sacer ignis extinguebat in templis gentium, die noctuque lampades ardentes seruantur in ecclesiis christianorum: progressos cum facibus incensis ethnicos imitantur christiani in publicis processionibus (y) ad loca martyribus dedicata: *δαδουφόρους* gentium *Ceroferarii* christianorum excipiunt. Parum sane refert, quo tempore

D 3

et

(t) *Epigramm. LIX.*(u) *Orat. in Verr. III. Cap. XXVIII.*(x) Cfr. CASAVBONI *Annot. ad Athenaei Deipnosoph.* Et EZ. SPANHEMII *Diatriba de Vesta et Prytanibus graecorum.*(y) Processionem cum cereis ardentibus in festo Purificationis B. M. V. a februalibus Romanorum iam deriuauit B. RHENANVS in annot. ad TERTVLL. contra Marcionem Lib. V. p. 291. *Negari non potest ardentium cereorum, quos hodie christiani eo die, qui purificationis Mariae dicitur esse, ex mare circumferunt ex februalibus Romanorum sacris originem sumisse.*



et a quo lucernarum vsus in ecclesiam introductus fuerit, tan-  
 topere primis christianis improbatus. VIGILANTII enim  
 temporibus eum in occidente nondum vbique receptum, in  
 oriente autem iam iam inualuisse, ex ipsis iis, quae D. HIE-  
 RONYMVS aduersus VIGILANTIVM memoriae  
 prodiit, perspicuum est. Nemo fortassis cum Card. BONA(z)  
 statuerit a candelabro et septem lucernis in templo hierosoly-  
 mitano cereos in christianorum ecclesiis originem suam tra-  
 here; quodsi ita esset, nemo profecto, vti gentilicium atque  
 profanum quid, eam consuetudinem vituperasset: et quae ex  
 PRVDENTII hymno in D. Laurentium petita sunt, probant  
 potius nocturnum cereorum vsus, quem nemo vnquam sanus  
 improbauit, diurnum autem eorum in ecclesiis vsus PAVLINI  
 Nolensium episcopi verbis de S. Felice, dubio Papa, dubio-  
 que martyre(a) probare velle, nihili profus et maiori oppido  
 documento est, atque indicio, quam valde iis temporibus,  
 quibus imaginum vsus in ecclesia christiana iam iam inualuerat,  
 a prisca disciplina ac simplicitate recessum sit. Ipse quoque DU  
 PINIVS(b) testatur, per tria prima ecclesiae saecula cereorum  
 incensorem vsus nondum fuisse communem. Luculenter au-  
 tem patet ex ipsis D Hieronymi verbis(c) miserarum mulier-  
 ularum superstitioni haec originem suam debere. *Quodsi  
 enim inquit, aliqui propter imperitiam atque simplicitatem sae-  
 cularium hominum, vel certe religiosarum feminarum hoc pro  
 honore martyrum faciunt, quid inde perdis? Nec aliunde  
 vsus istum excusat, quam quod martyribus fiat. Illud per-  
 git, fiebat idolis et iccirco detestandum est; hoc fit martyribus  
 et iccirco recipiendum est.* Quam late autem haec consuetudo  
 inse-

(z) *Rerum Lyrurg.* Lib. I, Cap. V, coll. Cap. XXV, p. 391. sqq.

(a) Cfr. DU PINIVS *Biblioth. nov. auct. eccl.* Tom. II, p. 132. sqq.

(b) l. c. II, p. 350.

(c) *Opp.* p. 191, cap. 3. *aduers. Vigilant. edit. Plantin.* 1578.



infrequentibus temporibus disseminata, quibusque aliis insuper aucta sit superstitionibus HOSPINIANS (d) auctor est.

§. VIII.

Quod ad tempora religionis cultui destinata attinet, ex Epist. D. PAVLLI ad Romanos XIV. perspicuum est, illa aetate non sollicitam adeo temporis curam habitam fuisse et alios cum iudaeis leuiticae legis praescriptis pertinaciter adhaerentibus, Sabbathi studiosos fuisse observatores, alios vero omnes promiscue dies diuino cultui dedicasse. Et sane multa in his quoque ut in aliis a iudaeis seruasse christianos, iisque, qui inde ad meliorem doctrinam accesserant, indulgisse, cum aliorum sollempnium, tum Sabbathi diutina in occidente, diutiorque in oriente observatio atque cultus indicat. Verum et hic non pauca sunt ita comparata, ut haud aliunde, nisi si ex ethnicorum sacris originem suam trahere potuerint. Praetermitto multitudinem festorum, eorum indicationem, ordinationem, ornatum, cessationem ab opere festis diebus (e) et alia quaedam generatim huc facientia, cum de iis fatis superque egerint HOSPINIANS in singulari libro *de festis gentilium et christianorum* et b. HAMBERGERVS in *enarratione rituum*, quos romana ecclesia a maioribus suis gentilibus in sua sacra transtulit. — Ipsos festos dies consideremus, quo-

(d) *De Templis*, Lib. II.

(e) Cessationem ab opere festis diebus ex gentilismo quoque originem suam trahere, b Hambergeri est sententia; quo CICERONIS locus facit, ab eo plane intactus. *Feriarum inquit, festorumque dierum ratio in liberis habet quietem litium et iurgiorum, in seruis operum et laborum*: Lib. II: de legib. Cap. XII. Tamen mihi quidem haud sit verisimile, si quae adcurata olim ab opere cessatio a christianis observata est, eam ex gentilismo profluxisse; cum iudaei, a quibus exierant, ad superstitionem usque essent solliciti in observando Sabbatho aliisque feriis. Sed et paucas sane gentes inueneris, quae cultui numinis consecratos dies operibus exoticis profanauerint.



quorum alii ex ipsis gentilismi sollemnibus prodierunt eisque sunt oppositi, alii vero tali cultu celebrati sunt, qualis apud ethnicos in usu quondam fuerat. *Perinaci enim paganismō, inquit B. RHENANVS mutatione subuentum est, quem rei in totum sublatio potius irritasset (f).* Et hic primum in cen- sum veniunt sollemnia, in sanctorum atque martyrum hono- rem constituta. Equidem non dubitauerim, quin amor atque veneratio eorum, qui pro religionis veritate martyria atque ipsam mortem perpessi fuerant, christianos olim ad sepulcra martyrum congregarit praecipue; verum si haec non multo post in cultum degenerauit, quem soli Deo primis temporibus exhibebant christiani, ei plane similem, quem heroibus suis praestabant gentiles; epula ad memorias martyrum in- stituta, pultes, panes, vinum, aliaque huius generis pro oblationibus apposita (g), documento sunt, quantum ad purum pietatis zelum ex gentilismo mox accesserit. Paria enim epula a graecis quondam atque romanis ad tumulos defunctorum in- stituta fuisse, omnes norunt; et D. EPIPHANIVS, dum ipsas gentes futuram vitam atque resurrectionem haud in du- bium vocasse probare contendit, horum epulorum mentionem facit: "Ελληνες inquit, δε πάλιν ἐλέγχονται τὸ παν τῆς ἀναστά- σεως ἀρνύμενοι, ἀποφέροντες εἰς τὰ μνήματα βρώματα τε καὶ πόματα ἐν τοῖς πανδημοῖς καλεμένοις ἡμέραις (h). Sed ipsa haec festa, quae vel ex gentilismo in ecclesiam translata, vel ei quasi sunt opposita, suo ordine breuiter examinemus, et hic primum omnino locum obtinet *Festum Noui Anni seu Circum- cisionis Christi* kalendis Ianuariis celebratum. Christianos primis societatis suae temporibus a kalendis Ianuariis annum

NON

(f) *Annot. ad TERTVLL. contra Marcion. p. 291. edit. Froben.*

(g) D. AVGVSTINVS. De ciu. dei, Lib. VIII. *Quicumque opulas suas ad memorias martyrum deferunt, cum apposuerint orant, auferunt ut vescantur vel ex iis etiam indigentibus largiuntur.* HOSPINIA- NVS de Fest. p. 15.

(h) *Ancorat. LXXXVII. Tom. II. p. 9E. edit. Perau. Colon. 1681.*



non auspiciatos fuisse, cum omnis antiquitas, tum hodierna quoque ecclesia graeca documento est. Nulla harum Kalendarum plane obseruatio et celebratio in antiqua ecclesia; sed quam valde potius ab iis abhorruerint, ex TERTVLLIANO, AMBROSIO, AVGVSTINO, aliisque patribus perspicere licet. Quidquod quo magis omnibus hisce festiuitatibus obicem quasi opponerent, *ieiunia* isto tempore a christianis instituta sunt. *Per istos dies*, inquit D. AVGVSTINVS (i) *ieiunamus, quibus ut, quando ipsi laetantur, nos pro illis gemamus.* Verum cum per ipsos Caesares, post stabilitam publice in imperio romano religionem christianam, hae feriae tanquam ciuilia obseruarentur sollemnia, populusque in cassum increpantibus patribus et conciliis, ab antiqua gentilissimi consuetudine auocari non posset, celebrata iam in ecclesia natiuitatis seruatoris memoria, festum circumcisionis domini celebrari coeptum, priscisque kalendis Januariis est oppositum. Quantum autem hic ex prisco gentilium more atque consuetudine seruatum sit, auspicationes, votorum nuncupationes, strenae totiens ab antiquis reprobatae, aliaque huius generis indicant, de quibus ASTERIVS, DVRANDVS, HOSPINIANSVS, aliique memoriae prodiderunt. — Eiusdem originis est festum Epiphaniae, quod duas propter causas, baptismum nempe Christi, et stellam a Magis visam institutum esse contendit BINGHAMIVS (k), quibus alias duas iungit, ab aliis prolatas, miraculum nempe in Cana galilaeae patratum, et alterum, quando quinque hominum millia quinque panibus Christus saturauerit l). Verum tres priores causas hic tantum in censum venire, tum *hymnus* in hoc festo  
in

(i) *Comment. in Psalm. XCIII.*

(k) *Orig. eccl. Lib. XX. Cap. IV. §. VI.*

(l) Quartum hoc miraculum a BEDA additum est, vnde *Quatuordecim* nomen accepit secundum DVRANDVM. Sed de hoc addit, *hodie nihil agitur.* Praeterea dubitatur, *utrum hoc contigerit die ista.*



in ecclesia rom. vſitatus(m), tum ipſe DVRANDVS teſta-  
 tur(n), qui gentilitiis ſollemnibus hoc feſtum originem ſuam  
 debere, eiſque quaſi oppoſitum eſſe affirmare non dubitavit.  
 Ideo autem, inquit, *inſtitutum fuit hac die feſtum de tribus mira-  
 culis* (quae nempe ſupra *Ἐπιφάνιας, Θεοφάνιας, & Βυτοφάνιας*  
 nomine explicauerat) quia haec dies fuit antiquitus celebris in  
 honorem Auguſti Caefaris propter triplicem eiſ triumphum, quo  
 ſuo tempore romanorum imperio tres regiones ſubiugauit, ſcili-  
 cet Partiam, Aegyptum et Mediam. Illam ergo celebritatem  
 eccleſia in melius commutauit videlicet ad celebrandum Chriſtum  
 pro eiſ triplici miraculo. — Paria ſollemnia, feſto D. Petri  
 ad vincula, quod a. d. 1. Auguſti celebrant romanenſes, an-  
 ſam praebuiſſe DVRANDVS auctor eſt. Taliter inquit,  
 ſecundum Bedam inſtitutum fuit. Theodoſia, vxor Theodoſii II.  
 imperatoris hieroſolymam proficiſcens, vidit in Alexandria feſtum  
 celebrari in calend. Auguſti ad honorem Caefaris Auguſti de tri-  
 umpho habito de Cleopatra regina aegypti et de M. Antonio viro  
 eiſ. Vnde vehementer doluit, quod damnato et gentili tantus  
 honor exhiberetur. Et vbi mox catenas D. Petri ab ea inuen-  
 tas eſſe reculit, ſubiungit: Theodoſius igitur ad honorem B.  
 Petri eccleſiam aedificauit, et ibi catenas impoſuit, quae dedi-  
 cata eſt in calend. Auguſti, vt ſolemnitas piſcatoris obſcuraret  
 ſolemnitatem imperatoris, et catena Petri extingueret torquem  
 Auguſti(o). Quo et ea omnino tendunt, quae in ipſo feſto  
 Lect. IV. recitantur: Honos, qui eo die profanis gentilium  
 celebritatibus tribui ſolitus erat, Petri vinculis haberi coe-  
 pit(p). — Pari inſtituto gaudet feſtum, quod a. d. 2. Febr.  
 in memoriam Purificationis B. V. MARIAE celebratum eſt,  
 et

(m) *Off. in Epiph. Domini. Hymnus: Crudelis Herodes Deum, cet. quera*  
 Lutherus germanicum fecit: Was ſirchſtu Feind Herodes ſehr ic.

(n) *Racion. Din Off. Lib. VI. Cap. XVI. fol. 281. 6. edit. Lugd. 1612.*

(o) *l. c. Lib. VII. Cap. XIX. fol. 444. b. et 445. b.*

(p) *Cſi. Brev. Ro. edit. Venet. 1736. p. 856.*



et hodie adhuc celebratur apud romanenses. Audiamus DVRANDVM ipsum profitentem, ideo instituta esse solemnia ista, ut ritum gentilium in melius commutaret ecclesia christiana. *Romani namque inquit, de quinto in quintum annum in kalendis Februariis ad honorem Februae matris Martis illustrabant urbem tota nocte cum cereis ac facibus incensis — ipsi autem in mense Februario sacrificabant Februo, i. e. Plutoni cum caeteris diis infernalibus — et tota nocte eorum laudibus cum cereis et facibus accensis vigilantes. Mulieres quoque romanorum his diebus festum luminum exercebant. — In principio mensis Februarii — de nocte urbem lustrabant ambiendo ipsam cum facibus ardentibus. — Hos igitur lustrandi mores Sergius Papa mutans, in melius statuit festum purificationis, in honorem matris Domini in eodem mense, et tunc processiones fieri, ut plebs vniuersa portans cereos ardentis in manibus per ecclesias procederet.* (q) Nolumus hic inquirere vtrum SERGIO I. R. P. quod DVRANDO visum est, an GELASIO I. quod BARONIVS sustinet, huius festi institutio tribuenda sit, an NICEPHORO potius sit obtemperandum, qui IVSTINIANVM Caes. auctorem esse affirmat, a quo ad arcendam pestem atque terrae motum, constantinopolin vastantem, ordinatum sit (r): diuersas enim haec sententias facili negotio conciliari posse arbitror. Illud certum est, tum ex hoc, tum ex iis, quae supra ex B. RHE-  
NANO adduximus, haud aliunde, quam ex februalibus romanorum hoc festum deriuatum, priscis superstitionibus oppositum, eosdem ritus seruatos et ciuitate quasi christianae ecclesiae donatos fuisse. Rituum autem ipsorum ex *ceremonial. ro. eccl.* exactam enarrationem dedit HOSPINIANSVS (s). — Festum *Cathedrae Petri*, seu *Cathedrae Petri Romanae*, uti ex

E 2

(q) l. c. Lib. VII. Cap. VII. fol. 436. b. 436. a.

(r) *Hist. eccl.* Lib. XVII. Cap. XXVIII.

(s) l. c. p. 53. sqq.



ex decreto Paulli IV. R. P. vocatur, quod ad d. 22. Febr. (c) celebrat romana ecclesia, ab anniuersariis episcoporum originem suam petiisse, extra omnem dubitationem positum est. Quamquam enim episcoporum anniuersaria ipsis tantum uiventibus, nec alibi, nisi si in ea, cui praeerant ecclesia, celebrata fuisse historia ecclesiastica doceat: efficitur tamen ex D. AVGVSTINI sermone de sanctis cap. XV. hoc festum suis temporibus ab aliis quoque ecclesiis celebratum fuisse. *Institutio inquit solemnitatis hodiernae a senioribus nostris cathedrae nomen accepit, ideo quod primus apostolorum Petrus hodie episcopatus cathedram suscepisse referatur. Recte ergo ecclesiae natalem sedis illius colunt, quam apostolus pro ecclesiarum salute suscepit.* Nihilominus tamen ritus, quibus haec sollemnia praedita sunt, haud obscure indicant, quantum ex prisca consuetudine seruatum, quibusque gentium feriis hoc festum sit oppositum. *Non est praetermittendum, inquit DVRANDVS (u) quod hoc festum de incathedratione b. Petri, olim festum b. Petri epularum dicebatur. Fuit enim mos gentilium, secundum Magistrum IOANNEM BELETH, annis singulis in mense february hoc die uinum et epulas offerre deo ad sepulcra parentum, quas de nocte daemones consumebant. — Ipsi tamen ab animabus circa sepulcra oberrantibus, quas umbras vocabant, vastari putabant. Quod sancti patres extirpare uolentes, festum de incathedratione sancti Petri, tum de illa quae Romae, quam etiam de illa, quae Antiochiae fuit facta, statuerunt fieri illo die, quo talia a gentibus fiebant. Unde ab illis epulis, festum consueuit appellari festum B. Petri Epularum.*

(c) Duplex festum celebratur, alterum cathedrae D. Petri Antiochenae, alterum Romanae. Hoc a. d. XVIII. Ianuar. agitur, exstatque de eo sermo S. LEONIS Papae, qui in his sollemnibus legitur in *Eren. Ro. Eccl.* illud quod ad d. XXIII. Febr. celebratur [nam XXII. Febr. agitur memoria S. Margaritae de Cortona] habet Homiliam, D. AVGVSTINI.

(u) l. c. Lib. VII. Cap. VII. fol. 437. b. 438. a.



*rum.* En itaque ex religiosis epulis romanorum hoc festum deriuatum, eisque quasi oppositum. Nec meram esse coniecturam, quae ex IOANNE BELETH excitauit DVRANDVS, clarissime produunt verba D. AVGVSTINI, cuius sermo in hoc festo legitur (x) vbi ita: *cum solemnitatem banc ecclesiis merito religiosa obseruatio introduxerit, miror cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increuerit, ut super tumulos defunctorum cibos et vina conferant, quasi egressae de corporibus animae carnales cibos requirant.* —

Quinquatria olim in honorem Mineruae, literarum et artium praesidis, apud romanos habita et puerorum et ludi magistrorum processioibus celebrata (y), excipit festum D. GREGORII M. cui ob sex in Sicilia aedificata monasteria, quae pro illorum temporum ratione, artium et literarum officinae erant, et septimum Romae Sto. Andreae dedicatum in suis aedibus (z), hoc festum institutum et priscis gentium quinquatriis oppositum quasi est. Iidem caeterum ritus, feriae, processiones per vias puerorum atque magistrorum, de quibus cunctis diserte egit HOSPINIANSVS vtraque sacra conferens (a). — Duplex festum natiuitatis et supplicii D. Ioannis Baptistae (vtrumque enim iungit Durandus quamuis diuersa sint et diuerso quoque tempore celebrentur, vti ex libris liturgicis ecclesiae romanae perspicuum est) quod a. d. XXIV. Iunii celebratur, et si genuina inscriptio est, quam Homilia B MAXIMI episcopi Turonensis in fronte gerit, quinto post C N. saeculo institutum est, eiusmodi gentium sacris originem suam debet secundum DVRANDVM (b)

E 3

et

(x) *Off. Breviar. Rom.* edit. Venet. 1736. p. 665.

(y) OVID. *Fastor. Lib. III. V.* 810. sqq.

(z) Ita traditur in *Leñ. IV.* *Off.* in Festo S. Gregorii Papae et Conf. *Breu. Ro.* p. 689.

(a) l. c. p. 65.

(b) *Lib. VII. Cap. XIV.* fol. 442. b.



et HOSPINIIVM (c). Et sane si processiones spectamus, cum facibus et taedis circa fruges, hodie adhuc in quibusdam Galliae, Italiae et Hispaniae regionibus usitatae, haud obscurum esse videtur, hoc festum praeficiis romanorum ambarvalibus esse oppositum. Quod enim ex ignibus noctu incensis aliis videtur, de Vestae sacris hoc mense celebratis, nihil prorsus est, cum ignes isti eiusdem potius superstitionis, quae lustrationes ambarualium spectat, sint reliquiae. — Eadem est ratio *Natalium Christi*, quae primis quidem reipublicae christianae temporibus celebratae sunt, post vero in diem XXV. Decembr. translatae, nec sine veritatis maxima similitudine *inviecti solis* sollempnibus oppositae. Quo et *Bachanalia*, festum *Anuntiationis B. V. M.*, *sancti Antonii*, et alia referenda sunt, eiusdem originis et instituti: cum autem quae de iis dicenda nobis essent, ritus ipsos seu actiones sacras propius spectant, eo nos conferimus. Sed pauca a nobis de nocturnis christianorum sacris haud praetermittenda esse videntur. — Vigiliis siue nocturna christianorum sacra, illis praecipue temporibus, quibus continuis subiecti erant vexationibus, (*ἀπὸ τῆς κοινῆς κωνδύσε*, inquit ORIGENES contra CELSUM,) originem suam debere, nullus dubito. Etenim, quamvis et iudaei a vespera naturalem diem incipientes sabbathis et festis suis vespertinum quemdam cultum praemiserint; tantum tamen illis atque christianorum vigiliis intercedit discrimen, ut has ab illis deriuatas vel ad earum exemplar informatas esse, nemo fortassis, qui utraque inter se contulerit, arbitratus fuerit. Nec in primis reipublicae christianae initis clara adeo exstant vigiliarum vestigia, ut eas ad iudaismi reliquias referre possimus: quae enim PLINIVS de christianis retulit ante lucem congregatis, multo diuersi generis sunt. Attigimus iam supra vigiliarum originem, cum arcani disciplina, quam arctissime coniunctam. Et sane, quam magnam quoque partem persecutionis metus et erga martyres, ad quorum

se-



sepulcra praecipue nocturna ista sacra haberi solebant, adfectio, ab omni gentilismi suspitione neutrquam libera (gentes enim eiusmodi conuentus ad defunctorum tumulos instituisse, omnes sciunt) in hac re habeat, diffiteri tamen non potest, gentilismum non parum contulisse, vt, quas metus antea instituerat, vigiliae arcanae christianorum disciplinae non solum iungerentur, sed pacatis quoque christianorum rebus in festis praecipue conseruarentur et celebrarentur. Quam valde autem gentibus nocturna ista sacra placuerint, vel inde perspicuum est, quod nec graecorum leges, nec Romuli instituta, nec iterata senatus romani edicta (d) ea penitus tollere potuerint. Notissima sunt Liberi ac Veneris peruigilia, eleusinae Cereris *πρωγυιες*, sacrificia denique nocturna, CONSTANTINI M. demum auctoritate sublata (e) a christianis sub vigiliarum nomine, diuino cultui et festorum sollempnibus adfixa, tantoque defensa studio, vt non solum tot iterata conciliorum instituta, ea delere penitus nequiuerint, sed post tot ab illo inde tempore praetermissa saecula in paschatis et natalium christi sollempnibus antiqua sua iura obtineant. Quo et pernoctationes in templis pertinent, hodie adhuc apud graecos vsitatae, de quibus cunctis fusius egerunt HOSPITIANVS *de festis christianorum*, KORTHOLT *in Paganis obrectatore*, KLEPPERBEIN *de ritu vigiliarum sacro et profano* alii.

#### §. IX.

Haud obscurum esse arbitror ex iis, quae supra a nobis disputata sunt, quantum a prima et pura simplicitate, quae praecipue christianam ornabat religionem, insequentibus temporibus

(d) *Omnia nocturna, ne nos duriores forte videamur, in media Graecia Diagondas Thebanus lege perperna sustulit.* Cicero de Legg. Lib. II. Cap. XV.

(e) COD. THEODOS. Lib. XVI. Tit. X. 1. 5.



poribus recessum, et ex gentilismo in eam translatum sit, ut vel splendidiorem et acceptabilem magis christi cultum iis redderent, qui a veritate adhuc erant alieni, vel imbecilliorum animis indulgerent. Et si arcana gentium disciplina, si ipsorum locorum, qui cultui diuino, dedicati erant, ratio, si tempora denique sacra haud exigua nobis de hoc genere specimina et documenta dederunt; eadem sane praebent ritus, quibus res sacras posteris temporibus peractas esse videmus — Primum quod in censum venit, *lustrationes* sunt, vbiq; fere adhibitae. Equidem si BARONIVM audiamus, ex antiquissimis temporibus et apostolica traditione originem suam traxit, et iam secundo post C. N. saeculo ab ALEXANDRO I. R. P. benedictae aquae in ecclesia confirmatus vsus est. Nec defuerunt inter romanenses, qui ut antiquitatis auctoritate nouum ritum excusarent, ab ecclesia iudaica eum profectum esse statuerunt. Verum enim vero, quamquam lotiones et lustrationes frequentissimae fuerint apud iudaeos, et in ipsis legibus leuiticis praescriptae, vtrum rationibus physicis religione tectis, an ethicis et typicis, non nostrum est inuestigare: tamen quantum inter illas V. T. lustrationes, atque has a christianis susceptas intercedat discriminis, in propatulo est. Nec sane suis rebus consulunt atque cauent satis, qui ex traditionibus iudaeorum hunc ritum ad christianos promanasse volunt, cum ex sacris pandectis sit clarissimum, quam parum superstitiosa ista consuetudo Seruatori probata fuerit. Si ab aqua expiatoria iudaeorum deriuatus ritus est; absurdum sane est abolitum antiqui foederis ritum vmbrailem, in Christi ecclesiam recipere, qui sanguine suo multo praestantior nobis lustrationem praebuit. — Equidem non negauerim christianos homines primis temporibus, manus antequam vel preces funderent, vel quamlibet rem sacram peragerent, lauare solitos fuisse: ita saltim suorum temporum rationem nobis descriptam dedit

TER.



TERTULLIANVS(f): verum hoc externam potius puritatem spectasse, vel ad summum, emblema quoddam fuisse de animi puritate admonens, quam aliquid expiationis habuisse BINGHAMVS auctor est. Vfus autem in quem postea aqua transit meris lotionibus antea destinata, virtusque singularis ei tributa, clarissimo documento sunt, haud aliunde, nisi ex gentium disciplina hunc ritum profluxisse. Quaelibet sane aqua lauandis manibus erat idonea: recepta autem mox opinione, de quadam lustrationis et expiationis virtute aquae insita, ea tantum adhibetur, quae in baptismi vsu fuerat, sale deinde miscetur, ritu mere gentilicio et orationibus ac votis sollempnibus consecratur. Eadem nempe, quae prisca superstitio, de salutari aquae lustralis vsu suis persuaserat, insequentibus temporibus christiani quoque asperfusionibus istis sibi conciliari posse arbitrati sunt, et hodie adhuc sibi promittunt romanenses. Ἡ καθάρσις inquit Socrates apud PLATONEM (g) καὶ οἱ καθαρῶν — καὶ λούτρα, — καὶ αἱ περιβάσεις πάντα ταῦτα ἐν δύναντι ἂν καθαρὸν παρέχειν τὸν ἄνθρωπον καὶ κατὰ τὸ σῶμα καὶ κατὰ τὴν ψυχὴν. Ita quoque benedictionis formula se habet, qua Sal, cum aqua benedicta miscendum consecratur: *Exorcizo te creatura salis — per Deum, qui te per Elisiaeum prophetam in aquam mitti iussit, ut sanaretur sterilitas aquae, ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, ut sis omnibus te sumentibus sanitas animae et corporis*. Et in oratione eiusdem ritus: *Ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis et quidquid eo tactum vel aspersum fuerit, careat omni immunditia* (h). Hinc non solum ante templorum ingressum aqua lustrali sese aspergere solebant christiani more plane gentilicio, vti iam supra demonstravi-

(f) De Orations pag. 792.

(g) Crayl. p. 266.

(h) Office de la semaine sainte, p. XXXIII, lqq. edit. Paris 1745.



mus, sed loca quoque integra vasa, signa militaria, imagines et bruta denique animalia lustrantur. — *Propitiata luno, inquit Tacitus, per matronas, primum in Capitolio, deinde apud proximum mare; unde hausta aqua templum et simulacra Deae aspersum est* (i). Nota est Matris Deum, templorum, simulacrorum et altarium lustratio apud veteres usitata (k); pari ritu templa, loca sancta, cruces, vestes, imagines, campanae, signa militaria (l) lustrantur a romanensibus, et si antiqua roma deorum sollempni ritu lauit altaria, eandem quoque altarium lotionem sollempnem die viridum suscepit romana ecclesia, quam ita nobis descriptam dedit **BENEDICTVS XIV. P. R.** *In vaticana basilica, inquit, mos est, ut absoluto matutino — uniuersus illius basilicae clerus choro egressus, se conferat ad aram maximam seu altare confessionis apostolorum, illudque antea nudatum, ut ritus postulat, canonici primo deinde ceteri e clero vino et aspergillis abluunt* (m). Videtur quidem dissonare, quod vino ista lauatio fiat; sed non vino tantum, verum aqua simul admista **DVRANDVS** auctor est (n). Et ne equi tandem et asini ipsi diuino frustrentur munere, venalis auro Roma, eos aspergit aqua benedicta in festo **D. ANTONII**, vt prisci romani circenses equos aqua e certo loco petita lustrare atque aspergere solebant (o). — Lustralem aquam ad placandam Nemefin, ad inhibenda fascina, ad auerruncandam inuidorum oculorum perniciem, quam plurimum valere creditam, et eum in finem a gentibus vsurpatam fuisse omnes norunt. Eadem quoque virtus atque vis in ipso

con-

(i) *Annal. Lib. XV. cap. 44.*(k) *Cfr. Spanhem. ad Callimachi Lauacrum Palladis.*(l) *Cfr. Pictard ceremonies et coutumes religieuses, Tom. I. part. II. p. 115. sqq.*(m) *Comments. de festis I. ebr. §. 175, apud Hambergerum l. c.*(n) *I. c. fol. 343. b.*(o) *Cfr. Hambergerus l. c.*



consecrationis ritu benedictae aquae apprecatur: *fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, et ipsam inimicum eradicare et explantare valeas cum angelis suis apostolicis.* Et in oratione ritus eiusdem: *Quicquid in domibus vel in locis fidelium haec unda resperjerit, careat omni immunditia, liberetur a noxa, non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens, discedant omnes insidiae latentis inimici, et si quid est quod aut incolumitati habitantium inuideat, aut quieti, asperione huius aquae effugiat (p).* Nec desunt sane exempla quibus *πανάκη* suam virtutem probauerit lustralis aqua, vel in depellendis morbis, vel in ipsis eiiciendis et coercendis daemonibus, siquidem fides habenda est D. EPIPHANIO serio saltim hoc asserenti (q).

*O! curuae in terras animae et coelestium inanes!*

Eadem quoque est suffiminis ratio, cuius usum a gentibus in ritus suos transtulit christiana ecclesia. Nolumus hic in primas origines atque causas inquirere, quibus motae, omnes fere gentes incensi usum diuino cultui iunxerunt, et thure deos placari posse arbitrati sunt. Vereor enim ne causa toto coelo ab ea, quam posterior aetas huic ritui affinxit diuersa praecipue ansam ei praebuerit. Suffimigationes in sacros christianorum ritus receptae ad nos h. l. tantum pertinent: Et sane, siquid video, haud ante quartum saeculum religionis cultui iunctae, et in altaribus christianorum incensa thura sunt. Romanae quidem ecclesiae doctores, et in his praecipue purpurati BARONIVS, BELLARMINVS, BONA ex antiquissimis temporibus et apostolica traditione incensi usum atque originem deriuare tentant, testibus innixi, si quidem genuini sint, haud contemnendis. Sed accuratius eorum examen facili negotio contrarium plane demonstrabit. *Canones apostolici* primum locum occupant, vbi canone Ildo (non ter-

F 2

tio

(p) Office de la semaine sainte. p. XXXV. XXXVI.

(q) Adu. Haeret. Tom. II. p. 136. 137. edit. Colon. 1682.



tio uti BONA E videtur) seu IVto secundum versionem *Dionysii Exigui*, ita legimus: τῶ καιρῶ τῶ δέοντι πλην νέου χιδρων, ἢ σάχνας σίτου, ἢ σαφυλῆς μὴ ἔξον ἕσω προσάγεσθαι τι πρὸς τὸ Θουσιασῆριον, καὶ ἔλαιον εἰς τὴν ἀγίαν λυχνίαν καὶ θυμίαμα τῶ καιρῶ τῆς θείας ἀναφορᾶς. Verum missa etiam de authenticæ horum canonum, quos tot cordati viri inter ipsos romanenses, et in his præcipue DVPINIVS atque TILLEMONTIVS pro spuris atque suppositis habent, quaestione, si incensi vsum religiosum probare inde velis, idem quoque sentiendum esset de spicarum vuarumque primitiis, quas tamen in ecclesiae vsum venisse nemo facile dixerit. Offerri hæc cuncta poterant, ad priuatum exoticumque vsum ut benedicerentur; thura enim ad condiendos defunctos, prævumque odorem expellendum esse adhibita, TERTULLIANVS auctor est: ad adolenda vero altaria, tot testibus in contrarium plane transeuntibus, thymiamata oblata esse, vix inde probaueris. Nec firmitus sane testimonium exhibent verba HIPPOLYTI a BEVEREGIO in *annot. ad canon. apost.* excitata: Πένθος δὲ inquit αἱ Ἐκκλησίας πένθος μέγα, διότι οὔτε προσφορά οὔτε θυμίαμα ἐκτελεῖται. quæ ut figuratum sensum prætermittam, qui quidem BINGHAMIO arridet, ad similem locum Dan. XI. 27. spectant et inde petita potius esse videntur, quam quidquam pro adolendi ritu in ecclesiis christianorum recepto probare valeant. Verum quantum isti orationi, cui HIPPOLYTI portuensis episcopi a falsario inscriptum nomen est, auctoritatis atque fidei tribuendum sit, DVPINIVS atque DODWELLIVS dilucide satis demonstrarunt. Idem quoque de *Liturgia D. Iacobi et Dionysii Areopagita* sentiendum est, quorum testimonia, nec BONA excitare ausus est: quæ vero ex *Tertuliano* attulit, totiens contrarium plane asserente, ita comparata sunt, ut nemo de figurato sensu iis verbis tribuendo facile dubitare queat. Vnde ipse BONA infirmitatem horum testi-



testium sentiens, ex ritu antiquae ecclesiae iudaicae praecipuum suae causae petit subsidium. *Esto, inquit, quod noua res fuerit suffimigatio in sacris ethnicorum, at non fuit noua in sacrificio veri Dei ut ex veteri testamento liquet, ex quo in nouum fluxit.* Quod si ita se haberet, mirum sane, qui per tot et prima illa propius ad ecclesiam iudaicam accedentia saecula adolendi ritus non solum ignotus atque insolens in cultu diuino, sed quicquid eo facere videbatur, vti profanum et gentilicium a christianis reiectum esse potuit. A THENA-

GORA S enim in apologia, quam pro christianis scripsit clarissime testatur, omnem suffimentorum usum ab eis non adhiberi, sed recte de Deo sentire acceptabile Deo esse suffimen-

Ὁ τοῦδε τοῦ παντός δημιουργός καὶ πατήρ οὐ δέεται αἵματος, οὐδὲ κνινῆς, οὐδὲ τῆς ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων καὶ θυμαριῶν ἐουωδίας — ἀλλὰ θυσία αὐτῷ μεγίστη ἀγνωστικῶν τίς ἐξέτεμεν τοὺς οὐρανοὺς (r).

En cruenta sacrificia, nidorem hostiarum, corollas et flores victimarum, thurisque incensum, quae cuncta gentilicia erant, puro christianorum cultui opposita! Eadem quoque TERTULLIANI sententia est, qui in libro *ad Scapulam* ita differit: *Sacrificamus inquit pro salute imperatoris, sed Deo nostro et ipsius, sed quomodo praecepit deus, pura prece.* Quid autem per puram precem intelligendum sit, ipse explicat, vbi mox subiungit: *non enim eget Deus, conditor vniuersitatis odoris, aut sanguinis alicuius (s).* Et in apologetico: *Ei offero optimam et maiorem hostiam — orationem de carne pudica, de anima innocenti, de spiritu sancto profectam: non grana thuris vnius assis, non arabicae arboris lacrymas, nec duas meri guttas, nec sanguinem (t).* Ad quid autem thura adhibita fuerint, declarat in libro de corona militis: *Si me odor, inquit, alicuius loci offenderit, arabiae aliquid incendo, sed non eodem ritu,*

F 3

nec

(r) *Legat. pro christianis* in Biblioth. Patr. Graec. Lat. Tom. I. p. 59.

(s) p. 553. edit. Froben.

(t) p. 868.



*nec eodem habitu, nec eodem apparatu, quo agitur apud idola* (u): quae vltima verba, proxime antecedentia omittens, seu potius distorquens BONA excitauit (x) inde probaturus, incensa quidem esse thuris suffimina a christianis, sed ritum habitumque diuersum fuisse ab eo, qui apud gentes receptus vsu erat. — Ita comparata sunt, quae ex primis rei publicae christianae temporibus pro hoc ritu peti possunt testimonia. A quarto autem inde saeculo, quo pax per CONSTANTINVM M. christianis data, et alia multa ex prisca gentium religione in ecclesiam translata sunt, thuris quoque vsus in ritus sacros transiisse videtur. Equidem ZORNIVS (y) nec quarto saeculo hanc consuetudinem a christianis acceptam esse ex CONSTANTINI M. *oratione ad sanctor. coetum*, EVSEBIO *in demonstr. euang.* CYRILLO, BASILIO M. et ZENONE VERON. probare nititur, eamque ob causam, testamentum D. EPHRAEM SYRI vti dubium, argumentis motus nescio quibus reiecit, CHRYSOSTOMI orationem interpolatam esse, et AMBROSIVM denique figurate loqui contendit: Quodsi vero, a LEONE I. rom. pontif. qui circa A. C. CCCCXL. vixit, id operam vehementer datum est, vt vbique in vniversa ecclesia incensi vsus reciperetur, haud procul abest a veritatis similitudine, iam antea et quarto quidem saeculo thura in ecclesiis, certe quibusdam, incensa fuisse, nec figurate loqui AMBROSIVM, vbi suffiminis mentionem facit. THEODOSIO II. imperante, qui c. a. CCCCVIII. regnum adiit, ciuili lege iussum est, vt suffimina adolerentur et in *A& III. concilii chalcedonenfis secundi* quod A. C. CCCCLI. habitum est, *incensi pro memoria et anima Peristeriae Deo oblati*, mentio iniicitur (z). Quae ita cuncta comparata sunt, vt quarto iam

(u) p. 453.

(x) *Rer. Liturg. p. 397. edit. Colon. 1674.*(y) *Cfr. Miscell. Groning. Fasc. II.*(z) *Cfr. ZORNIVS. l. c.*



iam post C. N. saeculo hic ritus in ecclesia origines coepisse admodum sit veri simile. Verum enim vero, quocumque etiam tempore recepta haec consuetudo fuerit, gentilicium eius originem, ut adolendi ritum in sacrificiis ethnicorum, ei plane similem, quem hodie in sacrificio Missae obseruat romana ecclesia silentio praetermittam, multifarius incensi usus factis superque demonstrat. Praeter alias multas superstitiones, thuris suffimine, deorum apud gentes signa consecrata esse uniuersa testatur antiquitas, pari ritu post preces sollemnes, ritaeque lustralis aquae aspersiones, sanctorum imagines hodiernam dedicat latina et graeca ecclesia (a). Irridet LACTANTIVS gentes, quod *ludicris hisce et ornatis, et grandibus puppis, unguenta, thura et odores inferant* (b): secunda Synodus octauo saeculo Nicaeae habita decernit Act. VII. ut *uiuificae christi cruci, imaginibus Christi, B. Virginis, angelorum et sanctorum τιμητικῆν προσκύνησιν exhibeatur et osculis eae et incensorum θυμιαμάτων et luminum oblatione honorentur* (c): et ut nihil tandem sanctum et religionis cultui aptum creditum est a gentibus nisi quod thuris fumo lustratum quasi et dedicatum fuerit, loca sancta, cruces, reliquiae, vasa, campanae, ipsa denique vestimenta adoleri coeperunt apud christianos (d). Quam facili autem negotio hinc ad alias superstitiones, ethnicis familiares progressum fuerit, ut hisce nempe thurificationibus singularis quaedam vis atque virtus tribueretur, malos abigendi spiritus (imbecilles sane daemones, qui fumo expelluntur), tum Energumenorum exorcismi, tum dedicationis ritus, et ipsae benedictiones suffiminis documento sunt. Quid enim vnquam fuit, quod non timuerint homines, quid in uniuersa rerum natura, in quo inanes homi-

(a) Vid. FICCARD, l. c. p. III.

(b) LACTANT, fol. 48. a, edit. Aldinae.

(c) Cfr. ZORNIVS, l. c.

(d) Cfr. FICCARD, l. c.



minum mentes, spem sibi atque solatium non quaesierint, a solo Deo tantum expectandum! — Meminimus supra de osculationis imaginum in concilio Nicaeno commendatae: et quanto studio postera aetas huic decreto satisfecerit, tot staturae romanensium indicant, totiens osculatae, donec aurum eis non solum sacro quasi furto osculis auferretur, sed pedes quoque et manus sanctorum detererentur. Eadem de *Herculis Agrigentini* ore atque mento osculationibus crebris attrito, CICERO memoriae prodidit(e).

§. X.

Transeo ad obseruationem cultumque reliquiarum. Et nullum sane dubium est, quin amoris erga eos affectus, qui vitam pro religionis veritate dederant, seruandis eorum reliquiis primam ansam praebuerit. Verum quam valde ab omni religionis cultu, cineribus atque ossibus postea exhibito, primis temporibus christiani abhorruerint, tunc ex D. ATHANASIO et AVGVSTINO, tum ex aliis primae ecclesiae doctoribus perspicitur: et VIGILANTIUS, Barcelonensis ecclesiae Presbyter, eum uti mere gentilicium improbat. *Quid necesse est, inquit, te tanto honore non solum honorare, sed etiam adorare illud, nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis? — Quid policerem linteamine circumdatum adorando oscularis? — Prope ritum gentilicium videmus sub praetextu religionis introductum in ecclesiis — ubique puluisculum, nescio quod in modico vasculo precioso linteamine circumdatum osculantes adorare(f). Nolumus hic argu-*

(e) *Verrin. IV. Cap. 43. ibi est (Agrigentini) ex aere simulacrum ipsius Herculis, quo non facile quidquam dixerim me vidisse pulchrius, usque eo, ut ritum eis et mentum paullo sit attritius, quod in precibus et gratulationibus, non solum id venerari, verum etiam osculari soleat.*

(f) Cfr. D. HIERON. opp. Tom. I. aduers. Vigilantium, p. 190. edit. Plantin.



argumenta perferutari atque exponere, quibus causam suam defendere studet *Hieronymus*: haec enim, quae de reliquiarum cultu dicenda essent, ad dogmata propius attinent, in ecclesiae doctrinam recepta, de quibus in altera huius libelli parte demonstrabimus: illud saltem certum est, religiosam reliquiarum observationem pari ethnicorum ritui adcurate respondere. Sic Martis ancilia, lituum Romuli, cotem Attii Nauii, Vestae cingulum, alia, quae in cistis mysticis condita erant, gentium supersticiosa cura asseruauit, ut ossa, cineres, vestium lacinias et lintheamina martyrum atque sanctorum, capillos, lac, interulam atque cingulum B. M. V. lanceam, clauos et frustra crucis Christi, sudarium, spineam coronam, aliaque huius generis, in scriniis ecclesiarum hinc illinc seruant romanenses: et si de cote Attii Nauii, de lituo Romuli, qui in maximo incendio comburi nequiuerat, de aqua cribro hausta, de cingulo vestalis virginis nauem protrahente, aliiisque reliquiis innumera gentium sacerdotes commenti sunt miracula, de quibus MINVICIVS FELIX, CYPRIANVS, CLEMENS ALEXANDRINVS, TERTVLLIANVS, AVGVSTINVS, aliique ex patribus, daemonum haec potestati tribuentes, memoriae prodiderunt; haud sane diuersa ab his miracula suis enarrant latinorum et graecorum sacerdotes, quae per reliquias istas, vel ad depellendos morbos, vel arcendas calamitates, vel ipsos daemones eiiciendos, prodita fuerint. Omitto alia multa, ut ignes fatuos, conditarum reliquiarum indicia, inuentiones sacrarum imaginum, quae ita cuncta comparata sunt, ac si ex prisca Hetruriae disciplina petita essent: quae enim plura de hoc genere erunt dicenda, ad ipsa dogmata faciunt praecipue. — Magnam cum sacris hisce ritibus coniunctionem habent processiones sollemnes, quae a prisca inde temporibus in vtraque ecclesia, graeca et latina in usu fuerunt, et hodie adhuc in maxima hominum frequentia et pompa celebrantur. Et de earum origine in diuersas valde partes ab eruditis discessum est, aliis a **MA-MERCO** Viennensis ecclesiae episcopo, quinto demum saeculo



culo eas institutas esse, aliis vero a **CHRYSOSTOMO** vanis Arrianorum processibus oppositas fuisse asserentibus. Verum enim vero rebus adcuratius consideratis, nullum sane dubium est, quod ex antiquiorum patrum scriptis perspiciatur (g), quin multo ante iam in usu fuerint, et obseruationi et cultui reliquiarum, illisque iamiam temporibus originem suam debeant, quibus ad sepulcra martyrum amoris atque pietatis zelo moti, conueniebant. Quae vero postea accesserunt, et simplici ac plano ritui adiuncta sunt, non solum ex gentilissimi superstitionibus originem habent, sed ipsum quoque finem processionum peruerterunt. Noti sunt sacri antiquorum aegyptiorum processus (h) Isiaca pompa (i), Cerealia et supplicationes graecorum et romanorum, ubi arcas gestantes mysticas, librosque sacros et simulacra deorum praeferentes, cum cereis ardentibus, vestibus induti candidis, et hymnos deorum cantantes, ad templa et aras procedere solebant gentium sacerdotes. (\*) — Pari modo hodie adhuc romaneses in hebdomade passionis et in festo corporis Christi, graeci autem in quibusdam sanctorum sollempnibus atque hydrophoriis in maxima pompa procedere solent. Praeferuntur reliquiae in cistis sacris, imagines, statuae et pupae sanctorum, cruces, libri sancti, ardentes cerei: candidis et pretiosis amicti vestibus incedunt sacerdotes, canuntur hymni, et si gentes in transitu vias aqua lustrare, et floribus, corollis atque verbena conspergere soliti sunt, nec hodie defunt flores in faris istis

(g) Ex horum numero praecipue locus est **TERTULLIANI Lib. ad uxorem Cap. 3** ad quem **B. RHENANVS** ita disserit: *Processionum caerimonias antiquas esse vel ex hoc loco colligere potes, certe non contemendas, si cum attentione animi et puritate precum peraguntur.* **LE MOINE** ecclesiarum visitationem hac voce, ubi in scriptis antiquiorum patrum occurrit, indigetari putat. Sed perinde est, cum ad obeundum cultum conueniunt, nec tales quales postea in usum venerunt ambitus, illis temporibus fieri posse, res ipsae declaret.

(h) **CLEMENS ALEXANDR. Stromat. Lib. VI. p. 633.**

(i) **CF. APVLEIVS Metamorph. Lib. XI**

(\*) Insignem eiusmodi pompae descriptionem dedit **ATHENAEVS Lib. V. 7.** coll. **SPANHELM** in notis ad **CALLIM. Hymn. in Cyter. v. 121. p. 720. fqq.**



istis christianorum processionibus, nec thura, nec aqua denique benedicta, qua circumstantes et arae in viis hinc illinc erectae consperguntur atque lustrantur. — Inficitur olim istae processiones, non solum festis diebus, qui diis praecipue sacri erant, sed aliis quoque de causis, ut in supplicationibus ad auertendam deorum iram, et ambarualibus, ut fruges uberiores arua ferrent. Similes quoque supplicationes, et ad auertendas calamitates publicas a christianis institutae processiones sunt (k) campique et arua circumeundo lustrantur ad largiorem frugum prouentum a supremo numine impetrandum: Et si tandem deorum gratiam, peccatorumque remissionem istis supplicationibus gentiles sese obtinere posse arbitrati sunt, haud sane minorem fructum, suis inde promittere coeperunt posterioris aetatis christiani (l). Mitto histriones, tubicines, personatorumque gregem, alia huius generis, cum ex his quae modo demonstrauimus, clarissime appareat, quam valde a prisca martyrum sepulcra adeundi consuetudine, diuersae sint posterioris aevi processiones, gentilium ritibus auctae, quidquod penitus ad eorum exemplar transformatae. — De sacris processionibus, quae hisce processionibus accedere videntur, alio loco differendi erit occasio. — Eiusdem originis est βαπτολογία gentibus usitata, christi cultoribus manifesta lege interdicta, post vero in ecclesiae liturgias recepta, et longe lateque diffusa. Notissima est ἐπίκλησις ista gentilium, siue tu deus es, siue dea quam praecibus suis praemittere solebant, et honorum tituli, quibus placari, sibi que propitios superos reddi posse arbitrabantur. Ut enim semper fere homines, secundum modulum suum metiuntur supremum numen, sic et vanis cognominibus, quibus stulti delectantur, deos demulceri posse existimarunt. Et sane etiamsi ἐπίκλησις illa christianorum preces non conspurcauerit (non enim ignorabant sexum sanctorum suorum, qui eos inuocabant); tamen quam magna hac quoque

G 2

que

(k) BINGHAM orig. eccl. Libr. XIII, Cap. I, §. XII,

(l) HOSPINIANY, de festis,



que in parte gentium et christianorum cultui, ab eo inde tempore, quo homines diuorum ordinibus adscripti sunt, intercedat coniunctio, ex litanis sanctorum perspicuum est, quae priscam graecorum et romanorum βασιτολογία adeo sapiunt, ut si *Lauretanam litaniam B. M. V.* quadraginta quinque Mariae titulis instructam, et hymnum *Officii de immaculata conceptione B. V. (m)* cum Orphicis contuleris, nulum sane utriusque intercedat discrimen, nisi quod gentes christiani vanitate superauerint. — Mitto alia multa, quae huc quidem facere videntur et a nobis in medium proferri possent: non enim finis esset, si quae cuncta ultro se nobis offerunt enumerare, si canonizationis ritum, cum apotheose priscorum romanorum, imagunculas et ramos louis ad arceda fulmina consecratos, cum pupis, crucibus et palmae et oliuae frondibus consecratis n), frustra panis sacri de sacrificiis domi olim affruata, cum pane benedicto, nouissima verba in sacris gentium, cum dimissionis formulis postea acceptis, matutinas deorum salutationes, prima, secunda, et tertia hora institutas, cum matutinis officiis et horis canonicis, uti vocantur, si conceptas denique precum formulas, quarum magnam partem BR SSONIVS collegit, cum christianorum litanis, ut *λαοὶ & κύριε ἐλέησον*, pari modo hodie a graecis et ruthenis usurpatum, uti apud gentes olim in usu fuit o), conferre velimus. Clarissimum est ex his, quanta tenacitate priscis ritibus adhaeserint ad Christum conversi ethnici, ut ipsis indulgendum fuerit, cum consuetudinem, ut CYPRIANI verbis utar, *praeualere et vincere debuisset veritas*. Transeo igitur ad ea, quae de personis sacris uti vocantur, nobis monenda reliqua sunt.

## §. XI.

Quamquam negari prorsus nequeat, a primis inde rei publicae christianae temporibus, diuersos iamiam eorum ordines

(m) Cfr. *Vademecum piorum sacerdotum, iuxta exempl. monast. einsehl.* 1756.

(n) Cfr. *Off. Dom. Palmar. in Office de la semaine sainte.* p. 1. sqq.

(o) Cfr. ZORNII *Opuscula sacra* Tom. 1. p. 316. et *Biblioth. exeges. antiqu.* p. 534.



dines et ab iplo Seruatore institutos fuisse (p), quibus nempe vt eorum temporum ratio exigebat, ecclesiae cura committeretur: simpliffimam tamen eorum conditionem et ab ea, quae postea obtinuit, valde diuersam fuisse, tum ipsa ratio demonstrat, tum clariffimum erit vniciuique, qui prima illa tempora, cum posteris saeculis conferre velit. Etenim, vt externus religionis cultus, permultas et permagnas insequentibus temporibus immutationes subiit, et a primis et puris suis originibus remotus ad exemplar gentium multis partibus informatus est, idem quoque fatum sacerdotialis ordo subiit, neque ab hisce immutationibus intactus plane et intaminatus esse potuit, a quibus sanctiffima religionis adyta haud aliena fuerunt. Nimum profecto a scopo atque proposito nostro recederemus, si quae cuncta, vel ex antiqua Synagogae forma seruata, vel ex prisca templi hierarchia, in ecclesiam hac in parte recepta sunt, examinare velimus; vtrumque enim factum esse extra omnem dubitationem positum et a VITRINGA (q), DALE(r), VSSERIO(s), aliisque viris doctis, qui Christianorum et Iudaeorum sacerdotales ordines inter se contulerunt, satis superque demonstratum est. Neque nostrum est, in omnes atque singulas sacerdotales dignitates gentium et christianorum inquirere, et cum VEYRELIO(t) romanorum pontifices, flamines, archiflamines et proflamines, cum Papa cardinalibus, archiepiscopis, patriarchis aliisque componere: vereor enim, ne, si externae tantum speciei habeatur ratio, pari modo cum Tibetanorum pontifice, et minorum ordinum sacerdotibus conferre eos possis, et ipsa veritas illudatur. Ad ea igitur animum aduertamus, quae clara adeo

G 3

nobis

(p) 1 Cor. XII. 28. Eph. IV. II. 12.

(q) De Synagoga vetere.

(r) Dissert. de origine et Progressu Idololatriae et Superstitionis.

(s) De Origine Episcoporum.

(t) l. 6.



nobis gentilismi vestigia produnt, vt nullum plane dubium reliquum sit, quin ex hisce fontibus profluxerint: et hic ipsa hierarchiæ ratio primum suo iure locum occupat. Quale et quam exiguum sane fuerit in prisca iudæorum ecclesia, regum in eas res imperium, quæ ad cultum diuinum spectant, neminem fugit. Etiam si enim, quod ILL. MICHAELIS visum est (u) summa et in hoc genere, penes reges potestas fuerit, et tanta quidem, vt summos quoque pontifices munere demouere et morte multare potuerint; nullum tamen eis in ipsum cultum ius atque potestatem fuisse, sed cuncta a sacerdotibus, qui genuini erant legum diuinarum interpretes, pependisse, tum ex ipsis legibus mosaïcis, tum ex antiquis historiae sacrae monumentis, perspicuum est. Eadem quoque post exfulium babilonicum non solum seruata forma, sed maiori iure, adeoque aucta est, vt non solum de rebus sacris omnis potestas penes synedrii assessores esset, sed ipsæ quoque res ciuiles iudæorum ab eis administrarentur. Et hæc sane primitiuae fuit reipublicae christianorum ratio, quæ ad synagogae exemplar formata erat, et vt in multis aliis, in hoc quoque non pauca, a iudæis, vnde exierant, seruauerat. Maxima episcoporum et cleri auctoritas, a quibus cuncta, quæ ad res sacras atque ecclesiae formam faciebant, ordinabantur atque diiudicabantur. Verum enim vero, vt post pacem rebus christianis datam, multa ex gentilismo in ecclesiam translata sunt, ipsum ecclesiae regimen immutatum est. Maxima quidem semper mansit episcoporum auctoritas et multis partibus a CONSTANTINO M. eiusque successoribus aucta est; idein tamen summum ius, quod ob pontificatum maximum imperatores olim in gentium sacra obtinuerant, in se conferunt, et vti de rebus omnibus, quæ ad sacra cultumque deorum spectabant, cognoscebant, leges de iis ferebant, rerumque simul diuinarum humanarumque erant iudices, pari modo a CONSTANTINI M. inde ætate, ex

que

(u) Cfr. Mosaisches Recht.



quo christiani imperatores esse coeperunt, ecclesiastica negotia ab eis pependerit praecipue, et concilia ipsa de illorum auctoritate maxime habita sunt. Συνεχῶς inquit SOCRATES καὶ τοὺς βασιλεῖς τῇ ἰσορίᾳ περιλαμβάνομεν, διότι ἀφ' οὗ χειρῶν ἤρξαντο, τὰ τῆς Ἐκκλησίας πράγματα ἤρτητο ἐξ αὐτῶν, καὶ αἱ μέγιστοι σύνοδοι τῇ αὐτῶν γνώμῃ γεγονασίτε καὶ γίνονται (x). Vnde et ex Titt. 1. — 7. libri primi Iustinianaei codicis VAN DALE ostendit, paene omnia ad ecclesiam christianam spectantia per Augustos fuisse statuta et correcta. Nam quae, addit, ad SS. Trinitatem et fidem catholicam, quae ad ecclesias et ipsarum priuilegia, quae ad episcopos et clericos, quae ad episcopalem audientiam, quae ad haereticos etc. denique quae ad SS. baptismum, ad sepulturas, atque ad alia plura pertinebant, a christianis imperatoribus dirigebantur, corrigebantur, iuebantur aut vetabantur, iure pontificatus maximi, quod ad ipsos per potestatem caesaream, cui is pontificatus annexus erat, deuolvebatur (y). Equidem non negauerim, quod viris doctis visum est, CONSTANTINVM M. pio motum zelo nimium fortassis rebus ecclesiasticis se immiscuisse, quod ex vita, orationibus et epistolis eius ab EVSEBIO nobis conseruatis facile perspicitur; tamen non minorem partem in hac re pontificis maximi dignitatem habuisse, variis veterum testimoniis a VAN DALE comprobatum est (z). Et quanto iure in hoc genere Imperatores gauisi fuerint, late adeo patente, vt non solum episcopos munere suo multarent, eos qui ob auaritiam et immunitates clericis concessas sacerdotium amplexi fuerant, clericis eximerent et ciuitati redderent (a), de rebus ecclesiasticis causas instituerent, sed ipsa concilia convocarent, et res, quae tam ad dogmata, quam ad ritus spectabant,

(x) *Hist. Prooem. Libr. V.*

(y) V. DALE *dissertationes IX. de antiquitatibus et marmoribus*, p. 188.

(z) l. c. Diff. II. Cap. 1. 2.

(a) Cfr. *Bingham. in origg. eccl. Lib. V. Cap. III. §. 15.*



stabant, vel ipsi, vel per commissarios ordinarent, Arianismi historia a Constantini M. inde temporibus documento est. — Quod ad reditus sacerdotalis ordinis attinet, eos primis ecclesiae temporibus, praeter exigua quaedam legata, oblationes vel hebdomadales, vel menstruas fuisse, BINGHAMIVS, ALBASPINAEVS, aliique demonstrarunt. Verum et hic insignem quoque immutationem passae sunt res christianorum, et ex quo Christi cultus in romano imperio stabilitus est, non solum exiles reditus, quos ex oblationibus et defunctorum legatis possidebant ecclesiae ministri, Caesarum liberalitate valde aucti sunt, sed ipsa quoque gentium templa, cum bonis, quae iis annexa erant, ad christianos transferunt. Quamquam enim, ut in eiusmodi reformationibus accidere plerumque solet, magna redituum eorum pars, quae mystarum olim gregem aluerat, in aerarium Caesaris transfret, vel amicis principum obtingeret, haud exiguum tamen inde fructum coepit ecclesia, cuius nempe ministris, munificentia Caesarum, stipendia ex aerario publico data sunt. Paria olim de publico stipendia Diali flammis, Pontifici, Vestaeque virginibus Numa statuit(b), aliosque praeterea reditus ex agris atque beneficia gentium sacerdotibus fuisse, quae vel a collegio pontificum, vel a priuatis, vel ex reipublicae aerario erogabantur, LIVIVS(c), CICERO(d) SVETONIUS(e) memoriae prodiderunt. — Idem fatum, quod ipsum ecclesiae regimen subiit, a sacerdotali ordine abesse plane nequiuit. Et hic primum omnino locum obtinent *Exorcistae*. Diffiteri sane nequit, primis iamiam christianorum temporibus exorcismum in vsu fuisse. Καὶ νῦν ἡμεῖς, inquit IVSTINVS MARTYR, οἱ πιθεύοντες ἐπὶ τὸν σαυροθένητα ἐπὶ Ποντίας Πιλάτου

(b) LIV, Lib. I. Cap. 20.

(c) Libr. XXX.

(d) Orat. de auspiciis responsis.

(e) Vita Claudii Caesaris.



Πιλάτου Ἰησοῦν κύριον ἡμῶν, τὰ δαιμόνια πάντα καὶ πνεύματα  
 πονηρὰ ἐξορκίζοντες ὑποτασσόμενα ἔχομεν ἡμῖν (f): &  
 TERTVLLIANVS: *Edatur, inquit, aliquis subtribunalibus*  
*vestris, quem daemone agi constet. Iussus a quolibet christiano*  
*loqui spiritus ille, tam se daemonem confitebitur de vero, quam*  
*alibi Deum de falso*(g). Vnde clarissime patet, quod egregie  
 a BINGHAMIO demonstratum est (h), primis illis tempori-  
 bus eiectos quidem daemones, at nondum singularem in ec-  
 clesia exorcistarum ordinem institutum, sed cuilibet christia-  
 no, actos a malo daemone sanandi facultatem concessam fuisse.  
 Vt vero sensim, quomodo ipse statuit BONA (i), superna  
 dona in ecclesia defecerant, atque ista inualuit opinio, omnes  
 ab infantia daemone quodam obsessos esse (k) vti ex catechu-  
 menorum praeparatione, a quibus crebris exufflationibus  
 daemones, scilicet, eiciebantur, perspicuum est, peculiaris  
 exorcistarum ordo est institutus, et vti prisca Roma incanta-  
 tores suos atque augures habuit, si non integrum ac singulare  
 collegium exorcistarum accepit ecclesia, quale augurum apud  
 gentes erat, ordo tamen exorcistarum institutus est: et vti  
 exorcismorum libros gentium augures in manibus habebant,  
 vnde carmina et sacra verba praelegebantur, similis quoque  
 liber, qui exorcismi formulas continebat, exorcistis in ordi-  
 natione sua ab episcopo tradebatur, secundum *Canonem VII.*  
*Concilii Carthaginensis: Exorcista cum ordinatur, accipit de*  
*manu episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi. Vtrum*  
*vero Salomonaeus liber fuerit, qui mirabiles secundum NICE-*  
 TAM

(f) *Adu. Tryphonem.*

(g) *Apologet. Cap. 23.*

(h) *Orig. Eccl. Cap. III. Lib. IV.*

(i) *Rerum liturg. Lib. I. Cap. IV. p. 423.*

(k) TERTVLL. de anima Cap. 5.



TAM CHONIATEM (l) daemonum euocatiōnes continebat, an *Enochi* liber, quem inter ipsos SS. libros retulit TERTVL-  
LIANVS (m), an alius denique, non nostrum est disqui-  
rere. — Eiusdem originis esse videntur Ostiarii, Mansiona-  
rii. Custodesque ecclesiarum, qui, quantum quidem ex silentio  
scriptorum primorum temporum perspicitur, in primitiua  
ecclesia nondum instituti, et tunc demum accepti esse viden-  
tur, vbi maiori cum pompa celebrari et ad exemplar gentium  
formari coepit cultus diuinus. Sed quod maxime gentilissimum  
prodit, caelibatus clericorum est, atque solitaria vita, quae  
insequentibus temporibus in ecclesia christiana inualuit. Iu-  
daei quidem antiquissimis iamiam temporibus Naziraeos suos  
atque Rechabitas habuerunt, et qui post accesserunt, Esse-  
nos (n), qui certis quibusdam votis adstricti a non nullis ab-  
stinebant, solitariamque et contemplatiuam vitam agebant,  
ab ea, quam rigidiores inter christianos homines amplexi  
sunt haud alienam: nec defuerunt inter Romanenses, qui  
monasticae vitae originem ex illis temporibus deriuare, quid-  
quod ipsum Eliam prophetam primum ordinis sui fundatorem  
fuisse volunt: sed neminem, qui vtroque adcurate confide-  
rauit fore arbitror, qui christianos monachos, sacerdotum-  
que caelibatum ex illo fonte deriuare possit (o). Ita potius haec

(l) *Lib. IV. de Manueto Commend.*

(m) *Libr. de habitu muliebri. Cap. 3.*

(n) Essenis, qui a cibis quibusdam abstinebant, et solitariam  
agebant vitam, nullum plane cum religione Iudaeorum commercium:  
certe ad religionem Iudaeorum, eorum secta referri nequit; ab Aeg-  
yptiis potius et pythagoraeis originem suam traxit, vti BOVLAN-  
GERVS demonstrauit, veterumque testimoniis comprobauit in  
*Antiquite de uisite Liv. II. Chap. 2.*

(o) Naziraeorum vota cum iis, quae monachi praestant, contulit DAS-  
SOVIUS in singulari dissertatione *de Votis Naziraeorum et Monastici.* Ki-  
lone 1703. Naziraeorum autem istum ap. Iudaeos, ex Aegyptiorum  
superstitione profluxisse, et in hoc vt in multis aliis imbecillitati po-  
puli sui indulgisse Deum a SPENCERO aliisque fatis superque demon-  
stratum est.



potius haec comparata sunt, ut praeter superstitionem merum gentilismum in causa fuisse, nullum dubium sit. Magna semper fuit continentiae et conseruatae virginittatis laus apud primos christianos, ex male intellectis puto sacrae scripturae locis; insana enim profecto esset religio, et naturam et ipsum a Deo institutum ordinem euerteret, ac leges praescriberet, quae ad generis humani conseruationem violandae essent necessario, et terram ipsumque coelum essent depopulaturae, quae caelibatam, castissimum licet, iuberet, seu commendaret tantum; nunquam autem haec a legitimo thoro abstinentia lege quadam constituta, nunquam sacerdotibus praescripta aut commendata, potius a saniori patrum parte, cum in concilio Nicaeno quaestio de hac re institueretur, et ab ipso caelibe Paphnutio, magna cum indignatione reiecta est. Ita quoque a primis inde suis incunabulis ad extrema usque tempora Iudaeorum sensit ecclesia, neminemque facile inueniris, puritas licet, et abstinentia ab omni mulierum commercio, certis quibusdam temporibus, praecipue ubi res diuina faciendae erat, vehementer esset commendata, qui vel ex sacerdotibus, vel ex Naziraeis atque Essenis ad caelibatum lege aut voto adstrictus fuerit. Apud gentes autem quam valde sacerdotum coelibatus commendatus fuerit, neminem fugit. Documento sunt Vestales virgines, seuera adeo religione ad castitatem obligatae, ut quae incestu se pollui passa esset, viua defoderetur, et ipsae leges Romanorum, quibus nempe sancitum erat, ut propter sacerdotium *bona gratia* dissolui matrimonium posset (p). Quid quod tantum adeo gradum insania conscenderat, ut multi semetipsos euirarent, quo maiori puritate sacerdotio fungi possent. Qualis erat turpis Gallorum grex, ad quorum societatem nemo admitti poterat, nisi si armata manu perpetuae castitati in seruitio

H 2

Cy-

(p) Cfr. Digest. Lib. XXIV, Tit. I, N. LX, Hermogenianus.



Cybeles sese deuouisset (q). Nolo cum uiris in antiquitatibus uersatissimis in primos fontes atque origines peruerlae huius religionis inquirere; constat enim deforme hoc castitatis monstrum in oriente in lucem primum editum, in scholis Aegyptiorum nutritum et eductum, et simul cum religione et philosophia per Platonicos et Pythagoraeos ad Graecos et Romanos translatum esse. Ita quoque in orientali ecclesia primas origines coepit caelibatus et corruptae castitatis studium: et quamquam haereticis primum quibusdam proprium atque peculiare esset, ut quam frugalitate et imperio in salacis corporis aestuantes affectus acquirere castitatem euangelii leges iubebant, ferro mediisque illicitis consequi studebant, quales fuerunt Ebionitae et Cerinthiani apostolorum temporibus, qui uanum et peruersum philosophiae genus christianismo iunxerunt (r), ualeii deitide, Tatiani, Montanistae, Encratitae, Eustathiani, aliique huius farinae homines, quorum conatibus, ne late serpens malum ipsam ecclesiam peruerteret, grauissimas et seuerissimas leges concilia opposuerunt: tamen non ultimas christianorum partes ab hac contagione infectas fuisse, ORIGENIS (s) sancti et eruditi uiri, aliorumque ex-

em-

- (q) PLINIUS *Hist. nat. Lib. XXXV. 12.* et APULEIUS *Lib. VIII.* qui multus est in fraudibus atque sceleribus Gallorum enumerandis, coll. LUCIAN. *de Dea Syr.* Cybelem enim et Syriae Deam cognata ualde numina fuisse, et una eademque religione uicta mythographi docent.
- (r) Vid. I. Tim. IV. 3. ubi Essenos ab Apostolo praecipue tangi SCHOETTGENIUS arbitrat in *horis thalmud. p. 872.* Licet enim a matrimonio non prorsus abstinere Esseni, adeo tamen angustos terminos atque limites posterunt coniugii, ut ubi uim sobolem procreandi natura denegasset ab uxoribus abstinere, et eos, qui sancte uiuere cupiebant, ab omni re uxoris amouerent. Cfr. KIESLING. *de Legg. Mos. circa sacerdotes. p. 138. sqq.*
- (s) Duae potissimum caussae exfectionis recensentur ab Origene commissa; altera, ut suspicionem, quam ob priuatas sequioris sexus institutiones incurrere posset euitaret, altera ut in itinere per arabiam

foe-



empla probant, qui vel sibi metipsis manus intulerunt, vel ita cum vxoribus, quas antea duxerunt, vixerunt, vt omne cum eis commercium fugerent, sororumque loco eas haberent. Hinc ATHENAGORAS: τὸ ἐν πάρεσσι inquit, καὶ ἐν εὐσεχίᾳ μένειν, μᾶλλον περίησι τῷ θεῷ (t): donec lege tandem et voto inuiolabili ad caelibatum sacerdotalis ordo a romano pontifice adstringeretur; in quo vtrum πολιτεία quaedam, an gentilismus maiorem partem habuerit, aliis diiudicandum relinquo. — Maximam cum hoc cogitandi genere coniunctionem habet, et ex iisdem fontibus profluxit monastica et solitaria vita, quam vbi excindendi quasi furor deserbit, christiani amplexi sunt. Primi huius viuendi generis, quod tertio iamiam saeculo in ecclesia ortum est, PAVLLVS Thebanus et ANTONIVS auctores fuerunt, quorum alii mox exempla secuti et imitati sunt, donec ingens anachoretarum et ascetarum grex non solum deserta et solitudines, sed vniuersam quoque ecclesiam inundaret. Primas huius instituti causas in virtutis feruenti studio, et sinistra legum Euangelii explicatione quaerendas esse, nemo facile dubitat. Salutarem enim cognitionem honestamque vitam ad futuram salutem consequendam neuiquam sufficere eis persuasum erat, sed ad summam perfectionem tendendum, et eo vsque enitendum esse, donec totus in deum animus absorberetur, vt ANTONII verbis vtar: quod fieri prorsus non posse arbitrabantur, nisi cuncta cum reliquis hominibus vincula atque nexum soluissent, muneribus publicis se abdicassent, bona sua pauperibus distribuissent, deserta adirent, et totam ibi mentem in Deo infixam haberent. Quo maiori autem studio in hoc cogitandi atque viuendi genus inquirimus, primis et sanioribus

H 3

chri-

foedorum hominum insultus effugeret. Sed Platonismum et sinistra verborum Pauli et Christi explicationem praecipue in causa fuisse magis est verisimile. Cfr. KIESLING, l. c. p. 164. 199.

(t) Apolog. pro Christianis Cap. XXVII.



christianis prorsus alienum, et ipsi rationi aduersum, eo maioremprehendimus gentilismi imitationem et cum peruerfissima superstitione consensum. Quodsi enim ipsum hoc cogitandi genus spectamus, haud aliunde, nisi si ex corrupta gentium, Aegyptiorum praecipue et Graecorum philosophia atque religione originem ducit (u), quibus nempe persuasum erat, ad similem perfectionem, quidquod arctissimam cum Deo coniunctionem peruenire homines posse, si abstractioni et meditationi totos sese darent, commercium cum aliis fugerent, et seueriori vitae disciplina miserum corpus castigarent. Ita CHAEREMON testatur, gentis suae, Aegyptiorum putat, sacerdotes, omnibus relictis negotiis, τῆ τῶν θεῶν θεωρία καὶ θεάσει sese dare, et αἰὲ συνεῖναι τῆ θεῶν γνώσει καὶ ἐπιτροπῆ (x). Et sacerdos quidam, (Aegyptius) inquit Pater quidam apud COTELERIVM (z) descendens aliquando in Scerim, venit in cellam meam, ibique pernoctauit. Videns autem monachorum viuendi rationem ait mihi: ita agentes, nihilne conspicitis a Deo vestro? Dico: Nihil! Excipit sacerdos: Certe nobis sacrificantibus deo nostro, nihil ille a nobis abscondit, sed sua mysteria reuelat. Si vitae autem rationem spectamus, haud sane diuersas societates atque collegia gentiles habuerunt, quomendicantes syriae deae sacerdotes, Curetes, Gallos, Coryban-

(u) Opponunt plerumque Romanenses Pharisaeorum, Sadducaeorum, Therapeutarum, Essenorumque exempla, quos ita fere descriptos nobis dedit PHILO, vt eorum vitae ratio, monasticae vitae valde respondeat. Sed omnes isti vxorati: nec deserta tenuerunt Pharisei et Sadducaei, sed in ciuitatibus hinc illinc singuli vixerunt, publicisque in republica muneribus functi sunt. Vnde autem hae sectae, nisi ex philosophia ista, quae per totum orientem disseminata erat? Cum Naziraeis autem, Rechabitis et filiis prophetarum nihil monachos commune habere ostendit HOSPINIANVS *de origine et progr. Monachatus. Libr. I.*

(x) PORPHYRIVS *de abstinentia Lib. IV. §. 6.*

(y) *Monument. Eccl. Graec. Tom. I. p. 581.*



bantes, arualiumque fratrum collegium refert HOSPINI-  
 NVS (z). Longum nimis curriculum dimetendum nobis esset,  
 si quae cuncta de hoc genere in medium proferri possent ex-  
 aminare, et singula cum singulis componere velimus, actum-  
 que ageremus, cum diuersa haec instituta doctissimi in hoc  
 genere viri iamiam persecuti sint (a): quo enim penitior  
 quae stio instituitur, eo sane plura deprehendentur, et pauca  
 reliqua erunt, quae ex hisce fontibus non profluxerint. Tamen  
 silentio prorsus praeterire nequeo flagellantium ordinem, seu  
 diram potius et cruentam superstitionem, quae christianam  
 societatem contaminauit. Et hoc quidem hominum genus,  
 vti singularis ordo A. C. demum 1260. secundum HOSPINI-  
 NVM (b) ortum et institutum est. Sanguinariae tamen hoc  
 poenitentiae monstrum, prius iamiam in ecclesia natum et  
 eiusdem, cui gentiles dediti erant, seuerae et plane Euange-  
 lio indignae disciplinae proles est. Nota sunt Lupercalia Ro-  
 manorum (c), religiosae lacedaemoniorum flagellationes ad  
 aram Orthosiae Dianae (d) aliaeque virgis et contortis flagris  
 cruentae poenitentiae atque expiationes, quibus in sacris Bel-

(z) *De origine et progressu monachatus. Lib. I. Cap. IX.*

(a) DEYLING. *in Obseru. Sacris Part. III p. 343. de Ascetis.* REIM-  
 BOLDI *Diff. de Antonianis.* WALCHIVS *in Histor. Eccles. Saec. IV.*  
*Cap. II. §. VII.* BINGHAM. *in Orig. Eccl. Lib. VII.* HEBENSTREIT  
*Diff. de Eremitis.* FLEVRY *in Diff. Vol. XX. Hist. Eccl. praemissa, all.*

(b) *l. c. Lib. VI. Cap. XXX.*

(c) Cfr. POLYDORVS VERGIL. *de rer. Inuent. Lib. VIII. Cap. 6.* Ro-  
 mani lupercalia ludicra celebrantes nudi per urbem incedebant ac laruati  
 flagellis obuios caedebant. Quod si longius liceat huiusce verberationis ori-  
 ginem quaerere, ego ab aegyptiis sumtum dixerim, si quidem teste Hero-  
 doto, illi daemone maximo uaccam multis caerimoniis immolare solebant  
 quod sacrificium dum ardebat, omnes verberabantur.

(d) SEXT. EMPIR. *Pyth. Hypotyp. Lib. III. Cap. 24.* λαύνας ἐπὶ τῆ βω-  
 μῶ τῆς Ὀρθωσίας Ἀτιμίδης μάλιστα κινῶν ὑπὲρ τῆ πολλῆς ἐπὶ τῆ  
 βῶμῶ τῆς Ὀσῆ γενέσθαι θύσιν.



Bellonae atque matris deum, referente APVLEIO (e), deorum iram auertere, coelumque vulnerum crudelitate mereri studuit fanatica gentium superstitio: et si terga olim sua romanorum mulieres lupercis percutienda dederunt, idem hodie adhuc in sterilibus mulieribus hinc illinc ritus peragitur a romanensium sacerdotibus, quae ut foecundentur ad miraculosam B. M. V. imaginem flagris a sacerdotibus caeduntur, ut quibus Venus non fauit, Maria faueat (f). — Eadem quoque nobis sese offerunt gentilissimi vestigia, ubi diuersa sacerdotalis ordinis vestimenta nobis examinanda sumimus, in quo, ut in multis aliis a prima et pura christianissimi simplicitate posteris temporibus recessum est. Et primis quidem iam iam saeculis factum quemdam circa sacerdotales vestes, ubi diuinum praecipue cultum obibant, obseruatum fuisse, non negauerim; tertii certe saeculi historia mentionem facit pretiosarum vestium romani episcopi: tamen singulari vestitus genere sacerdotalem ordinem prima illa aetate iam distinctum fuisse, nulla certe sunt vestigia. Data autem pace ac libertate rebus christianis, cum splendido cultu quem ecclesia accepit, peculiaris quoque et multo splendidior atque ornatior habitum clerum a laicis distinxit, et pretiosis, auro, gemmis atque argento ornatis vestibus induti sacra fecerunt christianorum sacerdotes, in quo occidentalis praecipue ecclesia (graeca enim plura ex iudaismo seruasse in hoc videtur) ad gentilissimi exemplar, ut in aliis, formata est. — Hinc alba, qua missae sacrificium celebrantes, sacerdotes vestiuntur, eadem, quae

(e) APVLEIVS Metam. Lib. VIII. *Arrepto denique flagro, quod femiuis illis proprium gestamen est, contortis saeniis lanosi velleris prolixo simbriatum et multiugis velis ouium resselarum indidem sese multimodis cumulat istibus mira contra plagarum dolores praesumptione munitus.*

(f) Cfr. BLAINVILLE Itin. Tom. I. p. 337. *Sacerdos, qui hunc ritum peragit in sterilibus feminis, non palmae aptat verbera, sed iccus aliquot natibus, super stolam scilicet, neruo bubulo ingerit, quibus intercedente una alteraque prece ad miraculosam imaginem facta foecundantur.* Conf. HAMBERGERVS I. c. p. 42.



quae alba et candida vestis, qua gentium sacerdotes in sacrificiis induti erant, casula eadem ferme, quae picta tunica, pectorale, stola, ipsa denique tonsura clericorum, alia, de quibus cunctis pluribus egit VEYRELIVS (g) utraque conferens. — Penitentiorem itaque inquisitionem relinquo, ne ultra terminos: perspicuum enim esse arbitror, ex his quae cuncta a nobis demonstrata sunt, quam multa valde ex gentilismo in religiones suas christiani transfulerint, et in quibus exterior ecclesiae forma ad exemplar gentium ficta atque formata sit. Quae ita comparata sunt, ut si prima illa et pura genuini cultus tempora cum posterioribus contuleris, dicendum sane esse videatur cum D. BERNARDO: *Quis mihi det antequam moriar videre ecclesiam dei, sicut in diebus antiquis (h) ?* Quid enim

*damnosa — non imminuit dies!*

Reliquum est, ut quid de ingentibus hisce immutationibus sentiendum sit exponamus.

## §. XII.

Diu multumque ab eruditissimis disputatum est, praecipue ubi emendaretur, et ingenuae ac primitivae suae puritati restitueretur religio, utrum ritibus, externisque caerimoniis, in ecclesia christiana locus esse possit? neminemque fugiunt, quae pro abolendis ritibus cultuque caerimiarum, tum a Reformatis, tum ab aliis, ut MENNONIS et FOXI a seclis argumenta in medium prolata sunt. Et ipsa sane religionis christianae ratio atque natura eorum causam sustinere atque ornare videtur, qui ab omni externo cultu atque caerimoniis liberam plane ecclesiam esse voluerunt. Externa enim et vmbrosae quasi religio, quae in antiquo foedere olim obtinuerat, ubi ipsa lux adparuit cessare debebat et in caerimiarum locum

(g) l. c. p. 41. sqq.

(h) *Epist. CCXXXVII, ad Eugen, Papam p. 104, edit. Paris. 1667.*



cum acceptabilis ille deo cultus succedere, qui in fide et puris moribus consistit, hoc est, uti Christus loquitur, *ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ*. Tamen vero argumentis, quae ex vtraque parte proponuntur iusta lance ponderatis, fieri omnino nequit, quo minus eorum partes suscipiamus, qui ritibus fauent, et pro eis, dum certos suos terminos non transeant, quodam modo causam dicamus. Et hic, si quid video, primum omnino locum merito occupat, quod ab ipsa hominum natura argumentum petitur, quae ita nimirum comparata est, ut plerique omnes externis plerumque argumentis commoueantur, rarissime autem ratiociniis obtemperare valeant. Non omnes enim ea mentis acie a natura praediti, nec ita certe instructi sunt, ut sanctissimae religionis praeceptiones penitus percipiant, et ad illam solummodo normam, quae puris doctrinae christianae legibus praescribitur, vitae rationem instituere queant. Ii metipsi, qui plurimum in hoc profecerunt, humanam tamen naturam neutiquam exuunt, multis potius partibus externis argumentis aguntur, quae vel iucunditate sua oblectant, vel splendore percellunt, vel maiestate ad reuerentiam excitant, vel disciplinae legibus continent, ut angelis supra omnem humanam conditionem longe elatis religionem condere videantur, qui eam ab omni ritu puram atque liberam esse volunt. Viderunt hoc antiquissimi omnium fere populorum legumlatores, et a quibuscunque cultus quidam numinis institutus est, qui probe humanae naturae imbecillitatem considerantes in eo praecipue elaborarunt, ut religionem suam, quae simplex valde atque plana, nuda quasi veritas, parum sese commendasset, ritibus exornarent atque ineruditae, et magna semper admiranti plebi magis acceptabilem redderent. Celebres in hoc genere fuerunt Aegyptii, Cretensium Minos, Thraciae mystagogus, Graeciae antiquae legumlatores, Romanorum Numa, et ipse denique Moses, qui praeter umbratiles typicosque ritus, mysteria illa indigetantes, quae orbi terrarum diuinitus aliquando reuelanda erant, talem religionis cultum Iudaeis praescripsit, ut ad regiminis formam in oriente consuetam quam proxime

acce-



accederet (i). Quod et dignitati religionis egregie respondere videtur. Quod si enim regum atque principum palatia iura sua atque consuetudines habent, quae ciuili cuidam prudentiae originem suam debent, si ad regnorum moderatores non sine maxima reuerentia accedere licet, iisque legibus obtemperandum est, quae mos atque palatii genius praescripsit, ad excitandam reuerentiam erga augustos; quanto magis iisdem vinculis hominum leuitas coercenda et refraenanda est erga eum,

Qui terram inertem, qui mare temperat,  
 Ventosum, et vrbes, regnaque tristia  
 Diuosque mortalesque turbas  
 Imperio regit vnus aequo.

*Flav. Od. III, 4*

Et si tandem sensualitate a iusto religionis et virtutis tramite abducuntur miseri facilesque mortales, quid impedit, quominus iisdem mediis uti possimus ad emendandos homines, qui scopus atque finis omnis religionis est. — Eandem quoque viam primi christianae societatis moderatores, Apostoli nempe, ingressi sunt, qui quamquam, uti eorum temporum ratio exigebat, simplicissimam valde ecclesiam fundarent, ab omni tamen ritu atque cultu externo, uti supra demonstrauius, nudam eam penitus esse noluerunt: Et si omnes profusus ritus ignorassent illorum temporum christiani, multo profecto maiora praesto erant adminicula, quibus humanae naturae imbecillitas fulciri atque sustineri et simplex illa atque plana religionis christianae doctrina hominibus commendari posset. Aderant nimirum miracula, quaerudes alliciebant, dubitantibus veritatem persuadebant, vacillantes corroborabant, et ipsa documento sunt, simplicissimam quoque religionem et adeo rationi consentaneam, atque gratam et iucundam denique, ut vltro hominum mentes atque animos suo imperio subiiciat, externis mediis atque argumentis plane carere non posse. — Non equidem diffiteor caerimoniarum cultum hoc praecipue habere incommodi, ut homines pro eorum imbecillitate et ad sensualia

(i) Vide Paulsen von der Regierung der Morgenländer.



procliuitate externis plerumque rebus inhaerere et ab ipsa veritate, quae sola amplectenda ac fouenda animo erat, iis deflecti soleant. Exemplo est vtraque romana et graeca ecclesis, adeo externo cultui dedita et a vero interiorique cultu abducta, vt fere dicere possis, diuinam veritatem sub caerimoniarum inuolucris tectam atque absconditam esse. Sed hoc non tam ipsorum rituum, quam eorum potius culpa est, qui sacrorum interpretes sunt, atque arbitri, a quibus explicandae erant caerimoniae, populoque earum subsidio magis commendanda religio, non autem obscuranda diuina veritas. Quod autem vniquam humano generi diuinitus datum est atque concessum, quod vbi eorum manibus commissum esset, haud immutatum ac deprauatum fuerit? Quod illud vitii est, cuius D. PAULVS gentiles arguit, qui nempe diuinam veritatem et quicquid de Deo cognouerant, externae et populo quasi expositae religioni tantum adhaerentes, occultauerint, veramque quam in sacris suis docebant, deserentes, omnem penitus religionem sustulerint (k). Multas enim et sane magnas veritates, vti idolorum vanitatem, Dei vnitatem, praemia et poenas futurae vitae gentes neutiquam ignorasse a viris doctis (l) satis superque demonstratum est: Sed quantis haec inuolueris tecta, et fabellarum figmentis veritas deformata fuerit, omnes sciunt. Quare PLVTARCHVS οὐδὲν ἄλογον inquit, εἰ δὲ μυθῶδες, ἐγκαταλείπειτο ἱερουργίαις, ἀλλὰ τὰ μὲν ἠθικὰς ἔχοντα καὶ χρειώδεις αἰτίας,

(k) Rom. I. 18. sqq. Vtrosque tangit Apostolus Iudaeos nempe, qui falsis et adulterinis de Deo eumque placandi modo, veritatem obscurauerint; gentiles autem, qui veram vnius Dei cognitionem mysteriorum caligine texerint, falsam religionem, impurumque πολυθεϊσμόν plebi vendentes. Hinc tria gentibus obiicit vers. 21. Ἰνδόντες Θεόν I. οὐχ ὡς Θεόν ἐδόξασαν, non aperte Deum professi sunt. Crimen enim erat *Ἰνδόντες Deum* profiteri publice, quem in magnis mysteriis vere colebant, Exemplum Aeschyli. 2. Οὐκ ἔνχαριθίσαν, non coluerunt. Nullus enim publicus summi Dei cultus inter gentes. 3. Ἐμπταιώθησαν, falsam religionem et erroneas de Deo opiniones veris substituerunt. Ita μεταϊώθησ 2. Reg. XVII. 15. Jerem. II. 5. Eph. IV. 17.

(l) Cfr. WARBURTON in *Diu. Leg. Mos.* Lib. II. et PFANNERVS in *System. Theol. Gentilis.*



αἰτίας, τὰ δὲ οὐκ ἀμοιρὰ κομφοτήτος ἰσορροπίας ἢ Φυσικῆς ἐστὶν (m). Et quidam gentilismi defensionem apud AVGVSTI-  
 NVM ita fulcipit: *Non traduntur ista in sacris Deorum, sed in fabulis poetarum*, interiorē itaque religionem, ab externa et spuria distinguens (n). Sed alia suboritur quaestio, vtrum nempe christianis licitum fuerit a prima simplicitate recedere, et quod magis offendere videtur, ex ipso gentilismo ritus atque caerimonias in ecclesiae christianae cultum recipere? Et sane, si praeter libertatem in hoc genere ecclesiae datam in primas harum immutati num causas inquirimus, nihil profecto deprehendimus, quod vllō modo atque ratione vituperari queat. Illud nempe propositum sibi habebant illius aetatis christiani, vt gentes admissis et immutatis antiquioris, cui adsueti erant, cultus ritibus allicerent, priscam superstitionem, quam radicatus euertere non poterant, debilitarent, imbecilliorum animis indulgerent, et salutarem Christi doctrinam, gentibus magis acceptabilem redderent; quod quantum ad amplificandum diuinæ veritatis imperium contulerit, historia ecclesiastica demonstrat. Σουιδῶν, inquit igitur GREGORIVS NYSSENSVS ὅτι ταῖς σαματικαῖς θυμηθιαῖς τῇ περὶ εἰδωλα πλάνη παραμένει τὸ νηπιῶδες τῶν πολλῶν καὶ ἀπαιδεύτων ὡς ἀντὶ τὸ προσηγμένον τέως ἐν αὐτοῖς μάλιστα κατορθωθεῖν τὸ πρὸς θεὸν ἀντὶ τῶν ματαιῶν σεβασμάτων βλέπει ἐπαφῆκαν αὐτοῖς ταῖς τῶν ἀγίων μαρτύρων ἐμφαιδρύνεσθαι μνήμαις καὶ εὐπαθεῖν καὶ ἀγάλλεσθαι (o). Ipsa quoque ecclesia iudaica documento est, quae quamdiu in patriarcharum familiis tantum floruit, valde simplex fuit; ab eo autem inde tempore, quo publicum quemdam cultum accepit, insignes immutationes subiit, ex a primitiua sua simplicitate procul recessit. Nec recessit tantum, et multo splendidiorem cultum accepit, sed multa quoque ex religiosis Ae-

13

gyptio-

(m) *Libr. de Iside et Osiride.*(n) *De Civit. Dei, Cap. 7 2.*(o) *Orat. de Vita D. Gregorii Thaumaturgi. Add. Epistolam Gregorii M. ad Melitum Abbatem ap. Hamburg. l. c. p. 11.*



gyptiorum ritibus atque caerimoniis in eam, ut hominum imbecillitati succurreretur, translata sunt, quae cuncta singulatim recensere longum nimis esset, a SPENCERO (p) autem et aliis persecuta sunt. Neminem enim fore arbitror, qui a deo typis inhaereat, ut ubique a summo sacrificio ad cornua usque altaris, et a mitra et lamina pontificis ad sandalia usque et tunicae tintinnabula, mysteriorum umbras inuestigare velit. — Tamen vero, ubi hic pro ritibus a Christianis acceptis causam dicimus, nequiquam probamus quae superflua sunt et a scopo aliena, aut idolatriae, cui obicem quasi opponere debebant, ansam praebuerunt, a ratione dissentiunt, vel superstitionem aluerunt, vel avaritiae denique ac superbiae sacerdotalis ordinis originem suam debent, ita potius comparati ritus esse debent, ut deo atque religionis dignitati respondeant, reverentiam excitent atque augeant, zelum promoveant, pietatis affectus incendant, veritati succurrant eiusque fulcra quasi sint atque comites. Non enim argyritide medicinales pastilli obducuntur, sed auro argentove, ut medicina, ubi infantibus praebetur, placeat, nec salutari effectu suo frustretur, et in venenum transeat. — Is namque omnis religionis finis atque scopus est, ut a terra ad coelum euehantur mentes hominum, vera virtus, Deique amor atque timor in pectore mortali vigeat; ad quod obtinendum, si externa cultus forma ipsi doctrinae succurrit, finem suum religio consecuta est:

— *Ἐρεθὶ δὲ καὶ αὐτὸν αἰεὶ*

*παντὸς ὁρᾶν μέτρον.*

(p) *De Legg. Ebraeor. Ritualibus.*

